

QUID SIBI IN DIALOGO

CUI

# C R A T Y L U S

INSCRIBITUR PROPOSUERIT PLATO

---

*Facultati Litterarum Parisiensi*

*Ad gradus doctoris rite capessendos thesim proponebat*

G. CUCUEL

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS

COLLOQUIORUM MAGISTER IN FACULTATE LITTERARUM LUGDUNENSI

---

LUTETIÆ PARISIORUM  
ERNEST LEROUX EDIDIT  
28, viâ dictâ Bonaparte, 28

MDCCCLXXXVI

Bibliothèque Maison de l'Orient



134072

*Ch. Cucuel*

QUID SIBI IN DIALOGO

CUI

# CRATYLUS

INSCRIBITUR PROPOSUERIT PLATO

*Erudito et benevolenti viro*

**A. MORLET**

IN COLLEGIO QUOD DIGITUR SAINTE-BARBE DES CHAMPS  
STUDIORUM RECTORI

*quippe qui prima studia mea foverit*

GRATI ANIMI PIGNUS

QUID SIBI IN DIALOGO

CUI

# C R A T Y L U S

INSCRIBITUR PROPOSUERIT PLATO

---

*Facultati Litterarum Parisiensi*

*Ad gradus doctoris rite capessendos thesim proponebat*

C. CUCUEL

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS  
COLLOQUIORUM MAGISTER IN FACULTATE LITTERARUM LUGDUNENSI

---

LUTETIÆ PARISIORUM  
ERNEST LEROUX EDIDIT  
28, viâ dictâ Bonaparte, 28

—  
MDCCCLXXXVI

INDEX OPERUM QUÆ SCRIBENTI MIHI PLURIMUM  
CONTULERUNT

---

- M. SCHANZ. — *Platonis opera quæ feruntur omnia.* Lipsiæ, Tauch-nitz, vol. II, fasc. I (1877).
- F. SCHLEIERMACHER. — *Platons Werke Uebers.* von F. Schleier-macher. Berlin, Reimer II, 2 (1857).
- G. STALLBAUM. — *Platonis opera omnia.* Gothæ et Erfodiæ, Hen-nings. V, 2 (1835).
- E. ALBERTI. — *Die Sprachphilosophie vor Platon.* Philologus XI (1856). — *Ueber die Frage nach der Aechtheit oder Unächtheit der dem Plato zugeschriebenen Dialoge Sophistes, Politikos und Kratylos.* Philolog. XXI (1866). — *Ist der dem Plato zugeschrie-bene Dialog Kratylos ächt?* Rheinisches Museum N. F. XXII (1867).
- TH. BENFEY. — *Ueber die Aufgabe des platonischen Dialogs Kraty-los* (aus dem zwölften Bande der Abhandlungen der königlichen Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen), Göttingen 1866.
- BRANDIS. — *Handbuch der Geschichte der Griechisch-Römischen Phi-losophie.* Berlin 1835.
- C. G. COBET. — *Platonica.* Mnemosyne N. S, V (1877).
- K. LEHRS. — *Plato's Kratylos.* Rhein. Mus. N. F. XXII (1867).
- C. SCHAARSCHMIDT. — *Ueber die Unechtheit des Dialogs Kratylos.* Rhein. Mus. XX (1865).
- SCHMIDT. — *Plato's Kratylos im Zusammenhange dargestellt und durch kritisch-exegetische Anmerkungen erläutert.* Halle, 1869.

STEINTHAL. — *Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern.* Berlin, 1863.

SUSEMIDL. — *Die genetische Entwicklung der platonischen Philosophie.* Leipzig, 1855.

E. ZELLER. *La philosophie des Grecs considérée dans son développement historique*, trad. par E. Boutroux. Paris (1877-1882-1884).

---

# I

QUID SIBI IN DIALOGO, CUI CRATYLUS INSCRIBITUR,  
PRÆCIPUE PROPOSUERIT PLATO QUÆRITUR

---

1º De ratione qua recentiores scriptores ac præsertim  
Schaarschmidt cum Cratylo agunt.

Quot capita, tot sensus : hoc de *Cratylo* præcipue valet. Non desunt profecto qui de dialogo illo sententiam suam protulerint : sed suam quiske interpretandi rationem probare conatus est, ita ut non minimum sit inter eos qui materiam hanc susceperunt discrimen. Quid cuique placuerit, non mihi in animo est referre : quod optime fecerunt doctissimi viri Susemihl et Benfey. Nec magis in animo mihi est de sententiis illis tam diversis sigillatim disserere. Attamen inter eos qui illud Platonis opus non sine ingenii acumine perspexerunt, eminet Germanus scriptor, Schaarschmidt, qui in Musæo quod dicitur Rheinano non multis abhinc annis contendit injuria sub nomine Platonis hunc dialogum ferri (1). In sua autem dis-

(1) Schaarschmidt, *Ueber die Unechtheit des Dialogs Kratylos* (Rhein. Mus. XX, 1865). Eadem fere de illo dialogo, sed plura de ratione qua Platonico-rum dialogorum « authentiam » discernere debemus edidit anno MDCCCLXVI, in libro cui inscribitur: *Die Sammlung der platonischen Schriften zur*

sertatione varias priorum interpretum sententias ex maxima parte commemorat breviter, ut ex iis argumenta trahat, quibus ipse suam fulciat opinionem. Quare inquirenti mihi quid in illo dialogo sibi proposuerit Plato commodissimum esse videtur, dissertationem, quam Schaarschmidt scripsit, præcipue tractare. Hanc enim viam secutus, meam de dialogi interpretatione sententiam aperiam simul ac pro virili parte utrum recte necne Platoni *Cratylus* abjudicetur ostendam.

Argumenta, quibus Schaarschmidt non Platonis opus esse *Cratylum* demonstrare tentat, in duo genera distribui possunt: quædam enim ad speciem et ad dispositionem dialogi pertinent; cetera ex habitu personarum ducuntur. De prioribus nunc loquar.

Illud primum notandum est materiam hanc integrum a priscorum scriptorum cura ad nos pervenisse: de dialogi *authentia* loquor (1). Nusquam enim in operibus suis de illo dialogo Aristoteles mentionem facit, nec injuria profecto mireris, ab Aristophane tantum Byzantino dialogi titulum proferri. Nec sane Aristophanis auctoritati multum tribuere debemus. Antiquitatis igitur testimonium in hac quæstione adhiberi nullo modo potest, et ad ipsum dialogum configendiendum est. Attamen, antequam dialogi aut res aut personas critica ratione perlustro, non possum quin animadvertam quam singulariter agat Schaarschmidt cum Platone, cuius opera admirari se atque colere profitetur. Affirmat enim semper sibi constare egregios illos viros, quibus natura insigne dedit ingenium,

*Scheidung der Echten und der Unechten untersucht*, von C. Schaarschmidt, Bonn.

(1) De Procli commentario, vide II, 1<sup>o</sup>.

et ab illo principio, cui profecto non penitus assentiri licet, orsus, omnia Platonis opera in quibus eum nonnulla offendunt aut offendere videntur tanquam tanto philosopho indigna respuit. Abjudicato *Sophista*, *Politicus* in suspicionem venit (1); tum abjudicatur *Cratylus*; fugato autem *Cratyllo*, *Philebum* aggreditur et iratis oculis *Euthydemus*, *Menonique* et *Euthyphroni*, et pluribus etiam minatur. Non multos profecto reperias homines qui Platonem eadem ament admiranturque ratione: melior, qui sapiens sit, inimicus.

**2º Cratylus brevi summario contrahitur.**

---

Ut bene intelligantur ea quae de rebus in *Cratyllo* tractatis mihi dicenda erunt, aut ad exponendam opinionem meam, aut ad refellenda argumenta quibus Schaarschmidt utitur, necesse est hujus dialogi materiem doctrinamque quam brevissimis commemorem verbis:

« Quod dicere volumus, bene verba, quibus utimur, exprimunt. Unde haec in illis tanta vis atque proprietas (*όρθοτης*) inest? Num ex pacto et convento quodam, ut asseverat Hermogenes? Non ita profecto, si quidem Socrati credis. Proprium enim nomen erit, cum duas species (*ειδη*) expisserit, alteram nominis in universum considerati, alteram nominis, quod natura conveniet rei quae designanda est. (383 A — 391 A),

« At enim, inquit Hermogenes, ex abstrusiore illa disputatione excedere non mihi dispiceat; tu mihi, Socrates,

(1) Schaarschmidt, *Die Sammlung*, etc. (vid. pag. 3 not. 4).

ostendas velim quæ sit ista nescio quæ proprietas quām in nominibus inesse contendis. — Nihil vero ego contendō, respondet Socrates: attamen una, sis, quæramus. — Tum in variis etymologiis, quas Socrates non sine ironia et mira cum ubertate audientibus Hermogeni et Cratylo de Atridarum deorumque nominibus proponit (1), apparet et paulatim clarior fit ea, ut ita dicam, thesis, necesse esse, ut proprium nomen sit, indolem atque naturam hominis aut dei, quem designat, quam fidelissime repräsentet, atque, ut in universum et summatim loquar, illud quod nominandæ rei maxime proprium sit, repräsentet et apte effingat. — Postquam autem de deorum hominumque nominibus disseruit Socrates, ea inspicit nomina quæ res supra sensum positas exprimunt, eoque sensim secum colloquentes deducit, ut omnium illorum nominum prima elementa, litteras scilicet et syllabas, motum quemdam indicare fateantur. Ita, Socrate duce, ex compositis verbis ad simplicia, ex derivatis ad primigenia pervenimus. (391 A — 422 A).

« Nunc autem cum Socrate commemoremus ea quæ adhuc procedente sermone didicimus. Ut proprium sit nomen, intimam rei, quam designat, naturam describat oportet: hoc ex verbis Socratis clarissime patet, et imprimis memoria custodiendum est: non tamen obliviscendum nominum pleraque motum exprimere, de quo mox nobis erit agendum. (422 A — 423 A).

(1) Forsitan in illis etymologiis antiquæ fidei vestigia deprehendas, quæ prisci Græci credebat heroum aut hominum fata eorum nominibus non modo describi, sed etiam dirigi. Cave tamen ne Platonis sententiam in majus adaugendo adulteres, utpote qui dicere videatur (390 DE, 393) heroum nomina, quæ apud Homerum invenimus, pleraque a poeta ficta et fabricata esse, ut nomen illorum fatis accommodaretur.

« Ex omnibus his, quæ supra aut Socrates aut ii qui cum eo colloquuntur, dixerunt, sequitur ut nihil aliud ac imitatio quædam nomen sit. Non satis perspicuum illud atque dilucidum : nomen igitur, ait Socrates, imitatio quædam est voce facta, qua nos ipsam rerum naturam atque *essentiam* effingimus. Non vero hic standum, longiusque argumentatione progrediendum est : litteris enim, quod demonstrat Socrates, imitatio illa editur et conficitur. Naturæ rerum, inquit, litteras et syllabas nominum, quibus appellandæ sunt, accommodare, hoc est nomina vere propria creare, quæque ὄρθοτητος revera notam proferant. (423 A — 427 D).

« Proprium igitur nomen est, in quo congruunt cum sensu omnia ex quibus constat elementa. Quo usque vero ea inter sese congruere possunt? quibus modis atque finibus concludetur illa nominum proprietas? — Notandum est primo nomina ab hominibus fingi, et, quemadmodum omnia hominum opera, perfectionem nullo modo assequi posse. Imo, nihil nisi imagines sunt, nec rem quam auribus subjiciunt, penitus possunt repræsentare : ab exemplari enim imago differre debet : sin autem, cum eo confundatur. Quare non nimis studendum est ut in nominibus illum, de quo supra locuti sumus, elementorum cum significatione consensum reperias : insunt in iis nominibus multa quæ ex pacto et convento originem trahunt. » (427 D — 435 D)

« Superest ut quæramus quomodo pro mentis vi et opibus de nominum proprietate judicare possimus. Ut recte autem judicemus, res, quæ nominantur, cognoscendæ sunt, nec aperte patet ratio, qua eas cognoscere nobis licet. — At enim, inquit Gratylus, hoc nullo modo fieri

potest, nisi ipsis nominibus studemus, et ex iis quæ sit designatarum rerum natura indagamus. Non ita profecto rem sese habere affirmat Socrates. Namque qui nomina primi instituerunt, num ii erant qui nunquam in errore versarentur, aut qui incredibili quodam ingenii acumine rerum naturam qualis non modo specie sed re etiam es- set semper viderent? Errare enim humanum est, et pro- fecto erraverunt illi rerum quasi nomenclatores, quippe qui verba ita finxerint, ut, cum alia motum exprimant, alia contra immobilitatem litteris syllabisque significant. Nec profecto quidquam prodest dicere majorem esse ver- borum, quæ motum enuntiant, numerum: non numero quæstio illa solvenda est, nec dubitandum quin horum principiorum, quæ creandis verbis præfuerunt, falsum alterum sit: utrum vero pro recto haberi debeat non nostrum est hic decernere. Nec ea profecto sola est cau- sa cur ex nominibus res cognosci nequeant: nam si no- minibus tantum, ut vult Cratylus, res cognoscendæ sunt, quomodo illi qui nomina finxerunt, quique ad id res ip- sis penitus novisse debebant, hanc rerum scientiam as- secuti sunt? (523 A — 438 E).

« Quare extra nomina elegendum est nobis principium et quærenda ratio qua rerum natura nobis manifesta fi- at, rebusque ipsis ideo studendum. At certe occurrit sta- tim animo, Heracliti doctrinam nos de rerum natura op- time docere, cum nominibus ipsis non semel sed sexcen- ties confirmari et fulciri videatur. Non vero temere de tanta tamque gravi materia judicium pronuntiare jubet Socrates; « exspectandum, inquit, nec inconsiderate in- certo vocabulorum testimonio credendum; mihi in ani- mo est Heracliteam doctrinam aliquando refellere, et os-

tendere solam eam esse *idearum* doctrinam qua res penitus et recte cognoscere possimus ». (438 E ad finem).

Hæc sunt igitur, nisi fallor, ex illo dialogo quæ aperata manifestaque fiunt. Propria sunt vocabula, id est ὁρότηται quamdam habent, cum congruunt cum significatione elementa quibus constituta sunt; hanc vero proprietatem, cum ab hominibus facta sint nomina, cumque nihil sint nisi imperfectæ rerum imagines, in quotidiano sermone frustra requiras. Imo, cum in illo statu philosophia versetur, ut nulla doctrina ceteras profligaverit, nemo profecto dicere queat, ubi reperienda sit illa verborum proprietas, aut quæ vocabula vocabulorumque elementa propria sint necne. Forsan aliquando, adjuvante *idearum* doctrina, facilius id fiat: nunc vero ne tentandum quidem est. Cave igitur ne ex nominibus res cognoscere velis: invium enim ingrediaris iter.

In hoc autem dialogi summario colloquentes adversarios non pedetentim secutus sum, nec omnia rogata aut responsa retuli, quo clarior fieret sententiarum ordo, et magis in lumen proferretur doctrina quæ de nominum proprietate, et de vocabulorum vi ad naturam rerum cognoscendam a Socrate exponitur. Sed ad quasdam discepulationis hujus partes redeundum est, quarum aut illustranda est intima significatio, aut aestimanda et momento suo ponderanda sunt argumenta. Multa enim sunt in illo dialogo quæ lucem majorem desiderent, quæque, nisi attente et sedulo legantur et examinentur, aut perobscura aut etiam stolida ex scriptorum quorundam sententia videantur.

3º De etymologiis.

De etymologiis mihi primum dicendum est, quas nemo fere est quin contemnat atque ut Platone prorsus indigna respuat. « Sunt pleraque hæc, ait Cobet, non tantum stolida, sed joculariter stolida, ut simul fastidium tibi moveant et risum (1). » Nec aliter profecto de illis Schaar-schmidt judicat (2) : dicit enim se non intellegere cur plerasque *Cratyli* paginas etymologiæ istæ obtineant, ita ut non congruat cum totius dialogi magnitudine partis illius amplitudo. Nec illis assentitur qui *Cratyli* etymologias aut ironia aut ad irrisiōnem scriptas esse contendunt : nam multo numerosiores sunt, et si ad irridendos quosdam philosophos spectant, parum facete atque jucunde in eos illudunt. Fac etiam Plato cujusdam philosophi doctrinam ludibrio exagitare voluerit : nonne alia et multo meliora edidisset? Se ipsum autem irridere Socratem difficillimum est confirmare : quo igitur spectent illa ludibria, non patet. Nec certe, omni remoto joco, serio loquitur Socrates : cum enim nunquam in dialogis a Platone scriptis ita disserat Socrates, ut de illius sententia ac proposito dubitari possit, in colloquio illo cum Hermogene et Cratylo habito quid sibi proposuerit perobscurum et quam maxime dubium est. — Illud igitur, ut verbo omnia complectar, illi quæ etymologias continet dialogi parti præcipue objicitur, quod modum superet, nec satis aperte quid sibi velit demonstret. Crimina autem illa, nisi fallor, arctis-

(1) Cobet, *Mnemos.* V.

(2) Schaar-schmidt, *Rh. Mus. loc. cit.* p. 340.

sime inter se cunjunguntur, ita ut si quis alterum refelat, alterum etiam hoc ipso sponte labatur et corruat. Si quis igitur totius dialogi ductum et rationem non satis accurate inspexerit, fateri sane cogetur ea quæ retuli objecta non prorsus contemnenda videri. Nam cum in ceteris dialogi partibus sententiam plerumque breviter indicit Socrates, ita tamen ut dubium nemini sit quo spectent illius argumenta, in hac de qua loquor parte, quamquam per se ipsam satis constat, immoderate disputandi aut jocandi cupiditate ferri videtur. Sine fine enim, ut ita dicam, succedunt etymologiis etymologiæ, explicatis que Tantaleæ progeniei nominibus, postquam in controversiam venerunt non deorum modo sed geniorum etiam et hominum nomina, vocabula quoque quibus res extra sensum positæ designantur, evolvere, atque ad rationem quamdam redigere tentat Socrates. Quare etymologiarum numero defatigati, levitatis fastidiosi, eo adducimur ut non Platonis esse illam dialogi partem non modo suspicemur, sed etiam cupiamus sincere.

Si quis vero attentius accuratiusque *Cratylum* perlegerit, non dubitandum quin evanescat illa suspicio et in melius vertatur fastidium illud, ita ut quomodo congruant inter se variæ dialogi partes appareat pateatque vera etymologiarum significatio. Nec mihi profecto in animo est has etymologias, quas Plato tot abhinc annis protulit, tanquam ab omni reprehensione vacuas defendere : talia enim nostris quidem temporibus qui in vulgus producere audeat non modo risum sed indignationem etiam prope commoveat. Testimonio mihi sint ea quæ de *Cratily* etymologiis scripsit Cobet, quæque paulo supra commemoravi. Platonis vero tempore nemo certe erat

qui tales verborum descriptiones explicacionesque reprehendere aut vellet aut posset. Non æquum profecto est crimini illud Græcis vertere quod varia grammaticorum opera, quæ quadraginta aut quinquaginta abhinc annis edita fuerunt, in usum suum convertere non potuerunt. Quod cum tam perspicuum evidensque sit ut dictu prorsus inutile videatur, non possum quin mirer illum, quem supra memoravi, doctissimum virum omnino effugisse. A veteribus enim non poscendum quod nullo modo dare possunt ; et in Platone ipso, aut in aliis Græcis scriptoribus verborum explicaciones reperimus, quæ quamvis serio sine dubio proferantur, non nobis ut rectæ citandæ et probandæ sunt. Ita, ut uno exemplo utar, suo de Republica libro πόλις a πολύς esse dicit Plato, et ita verbum Θεοί explicat Herodotus : « Θεοὺς eos Pelasgi nominaverunt quia orbem ordine disposuerunt (κόσμῳ θέντες) et omnes res omnesque sortes tenent (1). » Recens enim est scientia quæ circa etymologias versatur, et Platonii accedit quod omnibus quamvis acutis viris accidit, qui licet suam tantum linguam cognoscant, hujus tamen linguæ vocabula explicare conantur : non ii sunt qui cogitatione et studio quidquam assequantur. Non igitur vituperandus Plato quod parum probabiles etymologias invenit, nec magis ex eo argumenta ducenda quibus abjudicetur Platonii ille dialogus.

Quæ licet ita sint, correctio tamen his adhibenda est quæ supra dixi, nec omnes etymologias justius sit defendere quam omnes condemnare : quædam enim, ut mihi videtur, serio proferuntur ; quædam e contrario unice eo

(1) Hérodotus II, 52 : Θεοὺς ὅς προσωνόμασσάν σφεας οἱ Πελασγοὶ ἀπὸ τοῦ τοιούτου ὅτι κόσμῳ θέντες τὰ πάντα πρέγματα καὶ πάστας νομάς εἰχον.

vocabuli explicationem dat, eamque multo insolentiores, quasi audientes irridere rationemque ipsam provocare velit. Quis enim est qui tanquam serio dictas defendere ausit varias quas de quibusdam verbis vicissim suggerit explications ? exemplo mihi sit vocabuli "Αρτεμις etymologia : (1) « Nomen Artemis, inquit, integratatem ( $\tauὸ\ ἀρτεμίδης$ ) videtur significare atque castitatem, propter amorem illius deae in pudicitiam ; forsitan autem ille, qui nomen deae imposuit, "Αρτεμιν eam ut virtutis peritam ( $ἀρτεμῖνης\ ἵστορα$ ) nominavit ; fieri quoque potest ut eam ita appellaverit quia viri cum femina contubernium odit ( $ἀρπάτον\ μισήσασα\ ἀνδρὸς\ ἐν\ γυναικὶ$ ) ; nec certo scio utrum causarum illarum aliqua, an omnibus his rationibus impulsus nomen illud deae dederit ». Discernenda igitur in tota hac parte dialogi quae senserit ab iis quae dixerit Socrates, quae sibi revera ac præcipue proposuerit ab iis quae obiter tantummodo exposuerit. Loquitur autem atque disputat Socrates imprimis ut ostendat vocabulis proprietatem inesse, si congruit cum elementis significatio. Hoc clarissime demonstrant etymologiæ, quibus ille Atridarum deorumque primo tractatorum nomina explicat, quasque serio prolatas esse non possum quin existimem (2). Attamen postquam illud, quod monstrare vult, argumentis et exemplis satis confirmatum esse arbitratur, veretur Socrates ne etymologiis nimium tribuere videatur : fieri enim potest ut ex iis, quae dixit, contendat aliquis esse revera in vocabulis, quibus utimur, illam proprietatem, ita ut ipse Socrates, licet prorsus alia sit

(1) Crat. 406 B, Cf. ejusdem generis etymologias :  $\bar{η}\lambda\iota\omega\varsigma$  409 ;  $\sigma\epsilon\lambda\iota\eta\eta$  409 ;  $\sigma\sigma\pi\alpha\varsigma$  412 ; cf. etiam 403 ; 404 C ; 405 ; 407 B ; 406 C, et c.

(2) Crat. 396 A sqq.

spectant ut risum commoveant et in Socratis adversarios illudant. Has profecto internoscere non facile est: erret tamen, mea quidem sententia, qui ob id ipsum dicat non in hæc duo genera distribui posse illas verborum descriptiones. Duplicem enim effectum sibi proposuisse Plato hac dialogi parte mihi videtur. Nam primum verba, quæ citat, ad elementa sua non magno profecto sine ingenii acumine redigendo, demonstrare vult qua ratione nominibus inseratur proprietas (*όρθοτης*), et exemplis confirmare tentat, vocabulis proprietatem inesse, si congruunt cum significatione elementa quæ sonum aliquem habent et voce ad aures feruntur. Eo igitur præcipue spectat illa pars dialogi: sed non is est Socrates qui occasionem omittat refellendi aut saltem laccessendi doctrinas, quæ philosophiæ suæ rationem offendebant. Quare, quanquam suis ipse verborum explicationibus sincere innitut ut Hermogeni et Cratylo ostendat quæ vera sit verborum proprietas, oblatam sibi occasionem arripit, et aperit quam ridicule, quam stulte etiam fallantur ii qui ex etymologiis nimia haurire volunt, et per nomina res quæ nominantur cognoscere student. Quare etiam tam frequenter jocatur Socrates de « examine sapientiæ animo suo excogitato » (1); hinc sèpissime nihil se scire professus, summa cum audacia etymologias etymologiis imponit: quam facilia enim sint illa studia ostendere vult, quam parvi facienda esse existimet argumenta quæ ex illo tantum fonte eruantur. Nec mirum ideo nobis videri debet, si, postquam vocabuli cujusdam interpretationem ut certissimam proposuit, novam statim ejusdem

(1) Crat. 401 E: ὅμως οὐκέτι τι συνενόητο. Cf. 396 C; 398 D; 400 A, B; 406 C; 407 C, E; 409 C, D; etc., etc.

prehendi, sed plerumque nos prorsus fugere; deinde, esse quosdam philosophos qui invenisse se veras nominum etymologias asseverant, præstigiis vero illos uti, quas cuivis facile est iterum edere, quibusque stultissimus sit qui decipiatur. Hæc in ipsis Socratis verbis non tam lucide dispiciuntur, et sermonis ambagibus plerumque involvuntur: sin autem, doceret Socrates, et doctrinum se in toto dialogo vehementissime negat, se vero cum Hermogene et Cratylo quæsiturum esse profitetur. Ipsi enim rebus convinci nos vult, et ob id ipsum tot et tam varia de etymologiis proponit; argumenta et exempla argumentis et exemplis suggerit, ut nullo modo in dubium vocetur quid sibi proposuerit, et vel inviti ad ea quæ velit concludenda inducamur.

Cur vero tam sæpe commemoret verba ita facta esse, ut ab Heraclito de rerum natura cogitata fulciant et motum omnia vario modo exprimant, jure quæri potest. At illud callidissimo facit artificio. Eos enim quibuscum loquitur non pro certo habet ironia vel argumentis suis eo deduci, ut vana et prorsus inania patent studia quæ ad cognoscendas res etymologiis innituntur. Iis autem officiosam dextram porrigeret videtur, et argumenta adversus se ipse præbere, quippe qui ostendat omnes etymologias, quamvis captiosæ aut stultæ sint, indicare et patefacere omnia, ut Heraclitus docet, in motu continuo esse: unde certe collegere liceret, verbis intimam rerum naturam detegi. Non ita vero res sese habet: nam vergente ad finem dialogo, adversariis suis jucundam illam opinionem ultimumque illum errorem quam brevissimis detrahit verbis. Licet verba multa sint quæ motum exprimant, non desunt tamen quæ immobilem indicent statum, nec quidquam

opinio quam tuetur, illis philosophis aut sophistis adnumeretur, qui affirmant per nomina res ipsas posse cognosci. Modum igitur, ut Horatii verbo utar, vertit et rationem mutat argumentationis: postquam enim ea quæ supra laudavi serio propositum, ad lusum et irrisiōnem sensim descendit; ridiculas etymologias, quibus ad stolidissima deducitur et in quas ipse illudit, ex industria coacervat, atque ita philosophorum argumenta lepidissime redarguit, qui ponebant ex nominibus nominatarum rerum naturam apparere debere.

Non profecto contendere ausim facillimum esse discernere quid nunc a Socrate serio proferatur, quid non: attamen non semper jocatur Plato in hac dialogi parte: documento mihi sint due, quas citat, etymologiæ; altera qua verbum γῆ a γῆσι esse et verbo γεννήταιρα explicari contendit (1); altera, qua ὄραι ad ὄραι reducitur, et verbo ὄριζειν explicatur (2). Affirmare non temerarium puto hæc a Platone sine ludendi consilio scripta fuisse. His enim explicationibus quasi signa nobis necessaria offert Socrates, ne per innumerabiles illas etymologias sine duce erremus, utque in illo, ut ita dicam, labyrintho, filo saltem quodam ad exitum deducamur. Nec injuria: nam postquam illud verborum tintinnabulum fugimus, et ad finem partis hujus pervenimus, si attente ea quæ legimus, meditatione tractaverimus, brevi nobis manifestum fiet hæc Socratis animo insedisse, quæ disceptatione patet facere conabatur: primo, proprietatem nominibus convenientia elementorum cum sensu injici; secundo, illam proprietatem a nobis in nominibus nonnullis posse de-

(1) Crat. 410. C.

(2) Crat. 410 D.

prodest affirmare eadem parte veritatem esse qua numerus est. Nam verborum pleraque ex Heraclitea orbis concipiendi ratione defluunt, et falsa est illa ratio. Nunquam igitur ad cognoscendas res ad verba confugendum erit, nec ad patefaciendam naturam quidquam etymologiae valent.

Hæc igitur mihi illa pars dialogi significare videtur; hæc est causa cur tam fuse de etymologiis Socrates disserat, et seria jocis innectat; sed insunt etiam in hac *Cratylī* parte quædam quæ silentio prætermittere non licet, et de quibus nemo, quod quidem sciam, mentionem fecit. Illo « sapientiæ examine », quod ei de cœlo decidit, utitur Socrates, ut supra dixi, ut adversariorum suorum errores redarguat: utitur etiam ut nonnulla, quæ discipulis suis proponere solet, obiter commemoret. Quare, cum de verbo διάμων loquitur (1), admonet neminem nisi sapientem esse beatum; cum autem nomen "Αἰδης (2) explicat, mortem non metuendam esse declarat. At cave ne male de ea agendi ratione judices: non errorem refellens ipse in errorem incidit. Ea enim quæ sic de felicitate, de mortis metu expromit, non ex sua nominum interpretatione haurit. Quid valeant illæ etymologiæ optime scit nec cœlat. Cum vero aliqua præbeatitur opportunitas qua severam et gravem disceptionem ad jucundiora adducere possit, nulla mora eam arripit. Quare, dum aridas, ut ita dicam, paginas defatigata mente perlegimus, et continua ironia, qua adversarios suos insectatur Socrates, quodam modo offendimur, recreamur interdum et facilius spiritum duceimus cum occurruunt quædam quæ probatissima comme-

(1) Crat. 398 B.

(2) Crat. 403 B; cf. 408 D.

morant Platonis præcepta atque instituta. « Propter hæc omnia dicendum (1), Hermogenes, mortuorum nullum ex Platonis imperio huc reverti velle, ne Sirenas quidem; illas vero ceterosque omnes illecebris retineri: tam pulchros enim, ut videtur, scit sermones habere Pluto: ita ut sit profecto deus ille perfectus quidam sophista, magna- que beneficia iis reddat qui illic vivunt... Præterea, cum hominibus convenire nolle, dum corpora habent, cum iis vero commercium conjungere ubi eorum animus omnibus malis omnibusque cupidinibus, quæ corpus afficiunt, liberatus est, nonne philosopho dignum illud tibi videtur? nonne bene intellexit optimam retinendorum hominum viam esse si quis eos virtutis cupiditate devincit, eos vero, dum corporis necessitatibus atque insania exagitantur, ne suis quidem, ut aiunt, vinculis illigatos detinere posse Saturnum hujus patrem? Multum abest igitur, Hermogenes, ut ex Ἀλέδης (id est obscurus) natum sit nomen "Αἰδηνός; verius mihi videtur illud ex facultate omnia quæ pulchra sunt sciendi (εἰδέναι) huic deo ab hominibus impositum fuisse ». Inest in his verbis, remota ironia neglectisque quibus involvuntur jocis, quasi imago quædam indicium que pulcherrimæ illius de immortalite animi et de felicitate qua post mortem homines fruuntur doctrinæ, quæ tam elate et tam exquisite in *Phædone* a Socrate morituro evolvitur.

Ad etymologias vero mihi redeundum; intellecta enim illa disceptationis parte, sine dubio intellegetur totius dialogi ratio atque finis. Mirum quibusdam visum est quod non ipse etymologiarum pondus et auctoritatem tuetur ille, quicumque ceterum erat, qui verborum explicatio-

(1) Crat. 403 B.

nibus adeo innitebatur : tales enim personas in scenam inducere solet Plato, nec opinionem sine fautore lacescit. — Nec injuria sane nec sine causa objicit ea Schaar-schmidt : quanquam enim non is est Plato qui æquales suos criminibus nominatim adoriatur, rarissime evenit ut in dialogis qui sub ejus nomine feruntur, non ab auctore aut ab auctoris discipulo defendatur opinio quæ reprehenditur. — Attamen ut talem opinionis patronum loquentem inducat, clara sit et bene constituta illa doctrina oportet, et philosopho cuidam aut philosophicæ scholæ peculiaris habeatur, nec, omnibus communis, nemini propria sit. Quod mihi sine dubio de doctrina verum videtur, qua Platonis tempore philosophi quidam e verbis res perspici posse ponebant, et certe dicere difficilimum est cui potissimum philosophorum scholæ attribuenda sit. Consentaneum sane videtur arbitrari eam a philosophis aut sophistis fuisse defensam qui linguam, qua utebantur, ex ipsa natura docebant ortam esse et quodam modo sponte fluxisse : qui vero illi fuerint, nemо fere est qui nulla adhibita correctione indicet. Alii enim talia de verborum significatione docuisse contendunt Heraclitum ejusque discipulos (1) ; alii Protagoram et qui disciplinam ejus sequebantur (2); alii denique Antisthenem Megaricosque (3). Verum autem est nos de ea re documenta certa nulla habere; ita ut conjectura tantum, quod in disputatione ejus generis periculosissimum est, aliquid assequi possimus. Nec facilius, prætermisis philosophorum sectis, unum saltem philosophum aut so-

(1) Schmidt, *op. cit.* p. 4.

(2) Stallbaum, *Præf. ad Crat.* p. 17.

(3) Susemihl, *op. cit.* p. 163.

phistam doctrinæ illius autorem nomine designare. Deficiunt enim quoque ab antiquis tradita documenta. Ac certe indicaverunt alii Prodicum (1); is enim verba subtiliter distinguere conabatur; utrum vero etymologiis studuerit necone, incertum: equidem fateor quemdam librum a Prodico scriptum et περὶ ὄρθοτητος ὀνομάτων inscriptum ab antiquis scriptoribus citari: non vero eumdem atque in *Cratylō* videtur habere sensum ὄρθοτης: quomodo verba cum exprimendis rebus convenientia querit Socrates; quomodo bene et apte, id est propriis verbis, loquendum esset, nisi fallor, docebat Prodicus. Alii autem contendunt Protagoram, in eo libro qui sub titulo Ὁρθοέπειον ferebatur, etymologiis quoque fuisse intentum, ita ut, cum ceterum Protagoræ nomen in colloquio saepius memoretur, in eum præsertim converti dialogi atque imprimis etymologiarum ironiam arbitrati sint (2). At, mea quidem sententia, illis non assentiendum est: nihil enim aliud erat, quantum mente conjicere licet, Protagoræ opus, nisi quedam « *Ars bene loquendi*, » quam antiqui aut recentiores etiam scriptores saepius ediderunt. Quod denique ad Democritum attinet (3), non modo etymologiis operam eum dedisse minime est demonstratum, sed per eas etiam rerum ipsarum naturam quærere animo non meditatus est. — « Quantum de ea re judicare possumus, ait Steinhalt (4), neque Democritus, neque Protagoras, neque Hippias, neque Prodicus ipse, quanquam is ad distinguenda verba omne ingenii sui acumen intenderat; peculiariter et præcipue in ety-

(1) Blass, *die attische Beredsamkeit*, I, 29 sq.

(2) Cf. Blass, *op. cit.* et Schmidt, *op. cit.*

(3) Steinhalt, *op. cit.* p. 80.

(4) Steinhalt, *op. cit.* p. 75.

mologiis laboravit, licet horum philosophorum unusquisque interdum et obiter his studiis vacare potuerit ». Verisimile igitur est illam doctrinam, quam quasi præteriens tantummodo lacescit Socrates, non philosopho aut philosophi cuiusdam scholæ propriam fuisse, sed in aere, ut ita dicam, versatam tunc fuisse et a pluribus sectis promiscue adhibitam. Huic autem conjecturæ non obstant ea quæ de philosophis scimus qui ante Platonem vixerunt, et manifestum ita fit quam ob rem Plato, quamvis acriter in illam nominum interpretationem invehatur, non opportunum existimaverit colloquenter et disputantem illius in scenam inducere fautorem.

Aliter tamen de ea re sentit Steinhalt. Nam, si illi credas, non extra Platonem, sed in Platone ipso quærendus sit philosophus, quem Socrates in *Cratylo* ludibriis exagitat. Æqualium suorum studium juvenis secutus erat Plato et etylogiis curam dederat : « Sirenum ille cantus, ait Steinhalt, quo etymologiae et Aristotelem et recentiores philosophos et Patres et jurisconsultos quasi irretitos tenuerunt, cur non Platonem quoque delectavisset et cepisset, præsertim cum omnes circum se allici et rapi videret? (1) » Felicior simul ac infelicior quam æquales sui, longius progreedi voluerat, et etylogiæ scientiam condere, quam confuse tantum prospiciebat et præsentiebat. Sed quia non ratione sed usu tantum linguam suam cognoscebat, inanis fuit ille ad scientiam etymologiarum impetus, et frustra conatus est Plato : inde iræ et ludibria quibus se ipsum insectatur. « Inest, inquit etiam Steinhalt (2), in *Cratylo* seria quædam cogitatio quæ Pla-

(1) Steinhalt, *op. cit.* p. 79-81.

(2) Steinhalt, *op. cit.* p. 83.

toni propria atque peculiaris est, quamque magna ex parte jocis involvere coactus est, quia ei aliter agere non licebat. Sophistas in illo dialogo irrideri fateor: sed ipse sibi non pepercit Plato: *Ἐπαιζεν ἄμα σπουδὴς ζων* ». Haec diserte et ingeniose, sed paulo subtilius, mea quidem sententia, dicuntur, nec ad ea confugere necessarium puto, ut supra demonstravi, ut explicentur et culpa liberentur omnia quæ ad illam dialogi partem pertinent.

**4<sup>o</sup> Nonnulla etiam quibus dialogum insectatur  
Schaarschmidt objecta refelluntur.**

Non in etymologias tantum invectum est. Affirmat Schaarschmidt (1) se plane intellegere quid sit φύσις δίκαιον et νόμος δίκαιον, quid ex natura justum sit et quid convento tantummodo justum habeatur. Negat vero se intellegere quid sit illa φύσις ὀρθότης de qua tam saepe in dialogo agitur. « Verba enim linguae, ut ipsius verbis utar, licet ex usu vitam accipient continuam, aliiquid tamen quod sensu percipi possit habent: justitia contra nihil aliud ac species quædam eximia est, ad quam intuentes omnia acta nostra regere debemus: φύσις igitur justum aliiquid esse potest: φύσις vero proprium nomen esse non potest. » At non videt Schaarschmidt significationem paulatim, procedente in melius philosophia græca, mutavisce illa verba φύσις et νόμος quibus utitur Plato: quod optime demonstravit Steinthal (2). In verbis enim φύσις δίκαιον, justitia quædam commemoratur quæ universis naturæ legibus consentanea sit; cum in dialogo contra occurrunt verba

(1) Schaarschmidt, *op. cit.* p. 341-343.

(2) Steinthal, *op. cit.* p. 42-76.

φύσει ὁρθότης, de proprietate agitur quæ nomini propter ipsam nominis illius naturam, id est, propter litteras syllabasque insit. Nemo profecto est qui non videat ita verbum fingi posse ut uno litterarum syllabarumque sono rem quæ nominanda est demonstret: erit igitur φύσει (natura) proprium: sin autem, ex convento tantum rem demonstrabit et νόμῳ modo proprium erit. Quid valeat, cum linguae natura in quaestione versatur, inter naturam et conventionem discrimen non perspicere se ait Schaarschmidt; respondebunt ipsæ dialogi personæ. « Cratylus hic ait (1), Socrates, esse cuique rei nomen, quod ei proprium est et natura convenit, nec nomen esse appellationem quam rei eidam homines ex convento dare possunt; at contra existere quamdam, quæ eadem est et apud Græcos et apud barbaros, nominum proprietatem... » Tum subjicit Hermogenes (2): « Ego vero, Socrates, mihi persuadere non possum esse quamdam nominum proprietatem, quæ non ex convento et pacto defluat. Mihi enim videtur nomen. quod rei imponatur, illud proprium esse; si vero huic aliud substituatur, non minus priore posterius proprium esse... Non enim nomen existere puto qui rei proprium sit natura, sed more tantum atque usu eorum qui nomina creaverunt et vulgaverunt ». Qui discrimen nullum inter ea discernit, nonne ultro et sua voluntate cæcus sit necesse est?

Nec verius mihi illud etiam videtur, quod Schaarschmidt Platonii objicit, non apparere quæ vera sit Socratis sententia (3) Asseverat enim Socratem, postquam denegavit

(1) Crat. 383 A.

(2) Crat. 384 D.

(3) Schaarschmidt, *op. cit.* p. 343.

verba ex convento facta fuisse, ipsum sibi contradicere νομοθέτην verba creavisse ponendo; Socratem etiam vituperat quod primum affirmet, deinde neget ex verbis res posse cognosci, quod denique de divina aut barbara sermonis humani origine sententiam suam non aperiat, neque judicium certum faciat. — Mirum est profecto quanta neglegentia (an animi cæcitate dicendum?) totum illum dialogum evolverit Schaarschmidt. Namque manifestum est lucide et expresse affirmare Socratem neque res ex nominibus posse cognosci (1), neque a diis aut a barbarorum lingua originem traxisse linguam Græcam (2). Nec magis stat, perfecto *Cratylo*, quod Schaarschmidt de *nomotheta* dicit. Nam postquam demonstravit Socrates verba non ex convento nec ex hominum arbitrio pendere, unde nata et a quibus creata sint querit. Nonne, inquit, ex more (νόμῳ) illa verba haurimus? Creavit igitur ea ille qui morum condidit, id est νομοθέτης quidam, aut νομοθέται, nam plures fuisse eos aperte ait Socrates. Qui fuerint illi *legislatores*, ipse, procedente disputatione, aperiet, subjicietque verba a primis hominibus (3) reperta fuisse: quomodo illi vocabula finixerint, et in dialogi summario breviter exposui, et in secunda parte dissertationis meæ planius ostendam. Quicquid autem id est, prorsus consentanea est Socratis de sermonis origine sententiae affirmatio illa qua *legislatores* effingendis nominibus quodam modo præfuisse contendit. Nam naturæ leges sequebantur illi *legislatores* nec ad libidinem suam nomina rebus imponebant.

(1) Confer ea quæ de ea quæstione supra dixi, et quæ pag. 55 sqq. exposui.

(2) Cf. pag. 46, sq.

(3) Crat. 414 C, D; 418 A; 429 A; 437 E, etc.; cf. etiam, pag. 62.

5º De Socratis persona.

Hæc de rebus ipsis in dialogo tractatis; ad personas igitur nunc transeamus, quæ non sine fructu in disputationem venient. Socratem primum, ut decet, aggreditur Schaarschmidt (1). In *Cratylō*, inquit, non is profecto loquitur Socrates quem aut apud Platonem aut in historicorum libris invenire solemus. Neminem enim fugit « *idearum* doctrinam » philosophis qui ante Platonem vixerunt omnino incognitam fuisse, Socratemque ipsum illam doctrinam invenisse et inter æquales suos propagavisse. In *Cratylō* autem Socrates ex abrupto, nullis præmissis ambagibus, de ea doctrina, quasi omnibus jam nota probataque sit, loquitur, eamque brevissimis commemorat verbis, quasi per se stet et satis intellegatur. Hoc legentes percellit et offendit: non enim talis ex variis historicorum operibus apparet Socrates. — Veri sane speciem aliquam habent illa objecta, nec facillime refelli possunt. Inuria quidem contendit Schaarschmidt ex abrupto de *idearum* doctrina tractare Socratem: præparatur enim illa doctrina et in scenam adducitur refutatis *Protagoræ* et *Euthydemī* opinionibus. Sed verum est eam non ingenti cum verborum apparatu et solemni quadam pompa, qua Socrates eam iis quibuscum disputat proponere solet, hic introduci. Attamen, si tempus respicies quo scriptum fuisse *Cratylum* verisimile est, minus mirum hoc tibi videbitur, et satis facile explicabitur. Juvenis enim dialogum illum, quantum conjectura affirmare licet, composuit Plato, aut,

(1) Schaarschmidt, *op. cit.* p. 331.

ut rectius dicam, unus ex primis dialogis est, quos egre-  
gius ille Socratis discipulus ad vulgandam magistri sui  
philosophiam edidit (1). In illo igitur quasi semen tantum  
et principium inest eximiarum illarum sententiarum, et  
admirabilis illius doctrinæ, quæ in dialogis postea scrip-  
tis paulatim adolevit, et, ut ita dicam, ad maturitatem  
pervenit. Qui autem *Cratylum* attente perlegat, facile ani-  
madvertat sub ipsa quæstione, de qua agitur, aliam  
subesse quæstionem, quam præsentire potius quam  
distincte videre licet : dum de proprietate nominum  
loquitur Socrates, et intentum huic disputationi auditio-  
rum animum retinet, nullam omittit occasionem nonnulla  
de *idearum* doctrina suggerendi, et quam paucissimis in-  
dicandi nulla alia via ad cognoscendam rerum naturam  
sapientes pervenire posse. Hæc est causa, nisi fallor, cur  
tam audenter in *Cratylo* producatur illa doctrina ; eam  
attentis legentium animis proponere, non vero probare  
vult Plato. Eo igitur præcipue dialogus, de quo agimus,  
spectare mihi videtur, non ut doctrinam *idearum* evolvat  
et argumentis explicet, sed ut eam necessariam esse de-  
monstret, eamque quodammodo prænuntiet.

Subjicit etiam Schaarschmidt non talem esse in *Cra-tylo* Socratem qualem eum Plato fingere solet. Cum enim  
ejus generis sint res quæ in dialogo tractantur, ut non  
docere, sed disputare maxime conveniat, nullus fere con-  
ceditur disputationi locus. « Invenias quidem, ait (2),  
initio dialogi nonnulla quæ disputationis speciem ha-  
beant : sed quanto plura sunt ea quæ quasi ex cathedra  
profert Socrates ! Ubique, fateor, inter se colloqui et dis-

(1) V. Susemihl, *op. cit.*

(2) Schaarschmidt, *op. cit.* p. 331.

ceptare videntur personæ; sed revera solus semper loquitur Socrates, nec usquam interrogationem aut contradictionem reperias, nisi cum in eo res est, ut ab auditoribus probari Socrates velit, aut ad alia argumenta transire ». Animadvertendum autem illud primum est, non semel in Platonis dialogis res ita sese habere, et saepius ejus generis esse ea quæ aut querunt aut objiciunt Socratis adversarii, ut ad aliam tantum disputationis partem animos auditorum et Socratis sermonem dirigant. Quod ad *Cratylum* attinet, non interrogationibus atque responsis, si Germano scriptori credendum est, aut verba aut cogitationes ex adversariorum animo extrahit Socrates, sed quæ ipse sentit, simplicius et liberius profert. Multa citat exempla Schaarschmidt : duo tantum, quibus ille objecta sua præcipue firmare conatur, commemorabo. Socrates, inquit, sine ulla causa nec ullis adhibitis argumentis affirmat eam esse linguæ naturam ut nos doceat aut docere possit (id est, ut res ex linguæ verbis possint cognosci). Hæc autem sunt Platonis verba (1) : « *Socr.* Cum radio utimur, quid facimus? nonne subtemen et fila confuse permixta distinguimus? — *Hermog.* Ita vero. — *Socr.* Nonne de terebra et de ceteris instrumentis eadem dicere habebis? — *Herm.* Rectissime. — *Socr.* Poterisne igitur de nomine eadem dicere? quia instrumentum nomen est, cum aliquid nominamus, quid facimus? — *Hermog.* Quid respondeam nescio. — *Socr.* Nonne alii alias docemus et res distinguimus, quomodo se habeant? — *Hermog.* Ita vero. — *Socr.* Nomen igitur instrumentum est quo docere possumus et naturam rerum distinguiere, quemadmodum ra-

(1). Crat. 388 B.

dio telæ fila distinguimus ». Quomodo ex his eruere possit argumenta quibus opinionem suam fulciat Schaarschmidt, non video. Non enim ait Socrates nos de rerum natura docere linguam, sed nihil aliud atque notat nos ea uti ut alii alios doceamus, et res distinguamus, quod, nisi fallor, multum differt. Nihil igitur est quod in supra citatis verbis reprehendatur, nihil quod ut Platone indignum rejiciendum sit.

Vituperat etiam Platonem Schaarschmidt quod nullis allatis argumentis affirmaverit verba a *legislatore* (*Gesetzgeber*) creata et hominibus tradita fuisse. At primum respondere debo non eumdem esse vocabulo « legislator » sensum atque verbo « νομοθέτης ». Nihil enim aliud in loco, de quo nunc agitur, significat νομοθέτης, nisi illum qui non *legem*, sed *morem* condidit (1). Hæc igitur sunt vituperata Platonis verba (2) : « S. Ille qui terebra utitur, cuius opere pulchre utitur? — H. Ferrarrii profecto opere. — S. Utrum cuivis ferrario esse licet an illi tantum qui hujus artis peritus est? — H. Illi qui peritus est. — S. Recte. Magister vero cuius opere utitur, cum nominibus utitur? — H. Hoc nescio. — S. Ne hoc quidem dicere poteris, quis nobis tradat nomina quibus utimur? — H. Minime vero. — S. Nonne more (3) illa nobis tradi tibi videntur? — H. Videntur. — S. *Morislatoris* (4) igitur opere utetur magister cum nominibus uteatur? — H. Assentior. » Nihil verius, nihil clarius mihi

(1). Cf. pag. 24.

(2). Crat. 388 D.

(3). Auctore Schleiermacher, νόμος, non quod Schanz edidit, νομοθέτης lego. Idem Schleiermacher ita verbum νόμον interpretatur : *der Gebrauch und die eingeführte Ordnung*.

(4). Liceat mihi hoc barbarismo uti, quo sententiam meam planius appetiam.

hac sententia videtur, ex more nos verba mutuari quæ loquendo usurpamus. Non difficilior sit de ceteris ea quæ objicit Schaarschmidt refellere.

Non vero hic standum : nam si Germano scriptori fidem præstare debemus, non modo multis *Cratyli* locis non disputat Socrates, sed etiam, cum disputat, id plerumque non apte et prorsus incallide facit. Hujus autem vitii indicium illustre manifestamque notam in argumentatione, quam infra refero, animadvertere sibi videtur : « Res certam et definitam naturam habent; facta igitur certam quoque naturam habent; sermo autem nihil aliud ac factum est : itaque ex natura certa quedam nomina esse debent ». Sine dubio, inquit Schaarschmidt, profitetur Plato esse quoddam φύσει δίκαιον aut φύσει ἀγαθόν ex quo dijudicatur utrum recte necne agamus, quodque quasi norma est qua facta nostra determinari non debent, sed possunt : nunquam vero professus est nec Socrates nec Plato facta nostra natura determinari posse quia sit aliqua βελαιότης τῆς οὐσίας ». Evidem valde vereor ne male judicet et disputet non Plato, sed Schaarschmidt, quippe qui cum factis quæ ex animo fluunt et animo tantum aestimantur, facta disputatione permisceat quæ corpore conficiuntur et ad res pertinent, quæ sensus tangere possunt. Verum est enim (nimis profecto verum, si iis, qui semper ad pejora pronum hominem esse contendunt, credendum est) nos non eo cogi ut facta nostra ideæ (εἰδος) cuidam boni justique adæquemus et accommodemus. Si vero rem secare, aut pingere volumus, hoc certe ratione, quæ naturæ placeat, tantummodo effleimus, cum hujus rei naturæ convenienter agimus, et hoc instrumento (id est cultro aut penicillo) perficimus

quod ad id aptum sit quod facere volumus. De nominibus profecto non aliter res sese habet : rem si nominare volumus ratione quæ naturæ placeat, id tantum efficiamus cum hujus rei naturæ convenienter agimus, et instrumento (id est nomine) quod tale sit, ut secundum sententiam nostram nominet. Ut uno verbo disputationem hanc comprehendam, facta nostra, et instrumenta quibus facta illa perficimus, determinantur rebus ipsis quæ facta pati debent, et proposito quod consequi nobis fixum destinatumque est. Nec profecto quidquam verius aut rectius est quam illa Platonis opinio. Cave enim ne o obliviscaris nomen non injuria instrumenti concreti et corporei loco posse haberi in hoc dialogo, quippe quod voce efficiatur et ex duobus aut pluribus sonis constet : non enim hic de nomine agitur sine forma et sono considerato, sed de sonorum syllabarumque copulatione ea, quæ natura nominatis rebus convenire possit. Platonis non modo verba, sed cogitationem etiam perpendere et aestimare decet.

Ac certe idem illud propter ea animadvertendum est quæ de Socratis ironia paulo post subjicit Schaarschmidt ; namque contendit in illo dialogo Socratis ironiam sæpe præpostoram esse, locumque testimonio affert, quem prave intellexisse aut aestimavisse mihi videtur. Interroganti enim, inquit Schaarschmidt, Hermogeni respondet Socrates se de nominum proprietate, imo de omnibus rebus nihil scire : illud autem Socraticum redolere debet; sed postquam tam fuse de nominum proprietate disseruit Socrates, hoc nos merito offendit et stupefacit. Huic judicio suffragari non possum : hæc enim sunt So-

cratis verba (1) : *Hermog.* Nescio, Socrates, quomodo contra ea quæ exposuisti dicam. Attamen forsitan difficile sit me tam repente ad credendum tibi adduci, nisi forte ostendas quam affirmes esse in nominibus proprietatem. — *Socr.* Ego vero, dilecte Hermogenes, nullam affirmo; sed te fugit quod nuperrime dicebam, me nescire, tecum vero querere velle ». Se igitur quidquam docere vehementer denegat Socrates, nec ullam præjudicatam opinionem animo constitutam habere se contendit: num illud nos offendere debet? nonne plane Socraticum est?

Nihil igitur valent ea quæ Schaarschmidt contra personam Socratis in illo dialogo subjicit. Eamdem nempe indolem eamdemque disputandi rationem in *Cratylo* ostentat Socrates atque in ceteris Platonis dialogis. Ironia enim ac ludibrio scite utitur et animi sermonisque sui semper compos disceptationem qua vult ducit; callidissime denique adversarium suum argumentationis laqueis involvit et irretito solertibus rationibus persuadet, licet acutius interdum atque argutius disserat. Talis in *Cratylo* est qualis ex ceteris Platonis operibus describi potest. Fac desint etiam nonnulla hujus imaginis linea-menta, fac dubia quædam atque incerta videantur; non mirari nos decet: de dialogo enim agitur qui primis Platonis operibus adnumerandus est, ita ut in animo discipuli nondum penitus tunc informata et ad perfectio-nem adducta fuerit magistri sui effigies, quam in *Phæ-done* aut in *Critone* ad vivum, ut ita dicam, expressam deprehendimus.

(1) Crat. 391.

6º De Cratylo et Hermogene.

De ceteris autem dialogi personis pauca dicenda sunt. « Non ea erat Cratylo indoles, inquit Schaarschmidt (1), qualem in dialogo effingit Plato : doctrinam enim Heracliti Cratylus longius produxerat et ad extrema prope amplificaverat. Hinc ridiculus esse debebat, ridiculumque eum Plato descripisset, si dialogum hunc scripsisset : in dialogo autem nihil nisi stultus quidam vir est, quippe qui principia Heracliti doctrinæ non aliena modo sed etiam contraria sine controversia suscipiat et probet, et nihilominus tamen asseveret se Heraclito quam fidelissimum esse. Non dubium quin valde hæserit ille qui dialogum composuit : nam Socratem quidem vincere necesse erat, nec tamen alius Cratylus representandus erat atque ab Aristotele describitur. Itaque tam facile Socratis argumentis primum cedit Cratylus, mox etiam, ad finem vergente disceptatione, sensim repugnat et demum pronuntiat se Heracliti studiossum esse ». Non vero mihi illa placent; nam Heraclitum linguæ non studuisse sermonisque naturam non scrutatum esse ipse fatetur Schaarschmidt. Socrati igitur cedere nec tamen stultus esse Cratylus poterat, nam rationi plane consentanea sunt ea quæ concedit et vicissim remittit (2) ; neque etiam cedendo Heracliti doctrinam et præcepta rejiciebat et aspernabatur, dum de nominum tantum proprietate trac-

(1). Schaarschmidt, *op cit.* p. 335.

(2). Jure notat Lehrs (*op. cit.* p. 440), non facilius cedere Cratylum quam ceteri solent Socratis adversarii.

tabatur, quoniam de ea proprietate nihil docuerat Heraclitus. Cum vero de magistri sui institutione agitur, cumque in dubio versatur illud ipsum, ex quo defluit illa institutio, principium, tum profecto qui revera sit ostendit Cratylus, aperitque se esse pertinacissimum Heracliti discipulum (1). Non igitur ipse sibi contradicere videtur, sed indoli suae prorsus convenienter agere et loqui, et omni culpa, quod ad illius descriptionem attinet, liberatur Plato.

Cum Hermogene multo etiam malignius quam cum Cratylo agit Schaarschmidt (2) : eum enim exstisset expresse negat, opinionemque his verbis defendit : « Nusquam de Hermogene apud Platonem, nisi in illo dialogo, mentio fit. Feliciter, ne infeliciter dicam, evenit ut non minetur in Xenophontis Memorabilibus, ex quibus obiter animadvertisendum est multas res plurimasque personas ad componendos commentarios Platonis dialogos haustas fuisse, quod profecto admirationem minime movere debet. Scilicet secundo Memorabilium libro, extremis paginis, Diodorum Socrates hortatur ut Hermogeni cuidam pecuniam mutuam det ; quarto deinde libro (cap. 8,4) nominatur Hermogenes, Hipponici filius. His sane documentis usus est ille qui *Cratylum* scripsit. Cum etiam in Theæteto de Callia quodam, Hipponici filio, mentionem factam reperisset, eum finxit esse fratrem Hermogenis, quem quidem pauperem appellat, licet parum verisimile videatur Hipponicum, qui ditissimus erat, in re domestica, nisi ad breve tempus, perturbatum esse

(1) Steinhalt, *op. cit.* p. 45 sqq. — Aristote, *Metaph.* 1010, A. 10, sqq.

(2) Schaarschmidt, *op. cit.* p. 338.

potuisse ». Qui nimium probare vult, nihil probat; quamvis acute et ingeniose causam suam agat, nimium probare voluisse mihi videtur Schaarschmidt.

Non dubium igitur quin jure sub nomine Platonis feratur ille dialogus, de quo agitur. Perfectionem sane in eo non assecutus est Plato, neque quod ad res ipsas, neque quod ad argumentationem attinet: in rebus enim inest nescio quid incerti ac subobscuri, in argumentatione argutiorem interdum calliditatem deprehendas. Non ea tamen sunt vitia, quibus Platoni dialogum illum abjudicare cogamur, cum præsertim plurimis locis expressam, ut ita dicam, Platonis notam ferat (1).

Restat ut quam paucissimis verbis ea quæ supra dixi contraham. Hæc igitur sunt quæ illo dialogo probare atque in lumen educere, mea quidem sententia, voluit Plato. « Inest quædam in verbis, quibus utimur, proprietas ( $\delta\varphi\theta\circ\tau\eta\varsigma$ ), quæ ex concordia inter verborum significacionem syllabarumque sonum constat. Ut bona et recta nomina habeantur, concordiam illam variis elementis, quibus formata fuerunt, capere debent. « Non vero, cum ab hominibus, qui perfectionem assequi non possunt, creata sint, illam concordiam omnia exhibent. Errant igitur illi qui ex nominibus intimam rerum naturam atque *essentialiam* cognosci

(1). Confer ea quæ de eadem re sentit Benfey: « Fac non refelli possint argumenta quibus Schaarschmidt *Cratylum* Platoni abjudicare tentat: necesse tamen videtur ponere dialogum illum ante tempus quo vixit Aristoteles, scriptum fuisse... Et virtutibus igitur, quibus eminet dialogi quicunque est auctor, et ætate quam dialogo attribuere debemus, eo necessario adducimus ut credamus eum a viro conditum fuisse Platoni cogitatione nequam impari, et ex omnibus partibus quam simillimo, ita ut alter Plato vera existimandus sit ».

« posse putant; res enim, nisi *idearum* doctrina duce et  
« auspice, nullo modo scrutari atque perspicere possu-  
« mus ».

---

## II

QUID DE SERMONIS HUMANI ORIGINE IN CRATYLO  
SENSESTIT PLATO, QUÆRITUR.

1<sup>o</sup> Quæ fuerit philosophorum, qui Platoni ætate anteierunt, « sermonis philosophia » quæritur.

Antequam in ipso *Cratylo* discernere aggredior quam Steinthal verbo forsan grandiore « Platonicam sermonis scientiam » vocat, non inutile certe videtur quærere quid de sermonis humani origine aut natura dixerint aut scripserint illi qui ante Platonem et Socratem philosophiæ vacaverunt. Nam ex illorum præceptis subobscura quædam, quæ in illo dialogo animum incertum atque suspensum tenent, clariora forsitan evadant, manifestiusque simul appareat quid a prioribus philosophis ad tractandam illam materiam Plato mutuatus sit, quid contra ex suo fonte ipse hauserit. At casu accedit ut de ea re, sicut de omnibus fere questionibus, quæ ad cognoscendam antiquorum philosophorum doctrinam attinent, desint pæne omnia documenta. Quod enim scimus (nec magnum profecto illud est) nobis traditum est a Proclo, qui *Cratylum* critica ratione perlustravit et explicavit, aut ab Ammonio, qui Aristotelis librum περὶ Ἐρμηνείας

explanavit. Nec quemquam profecto fugit quam difficile ac periculosum sit, nulla adhibita correctione, fidem omnium antiquorum interpretum testimonio adjungere, qui vera referre saepius parum curant, neque flocci faciunt, cum deest aut in veteribus annalibus factum aliquid, quo affirmationem suam fulciant, aut scriptoris alicujus verbum, quod opinioni eorum auctoritatem afferat, id sine pudore ex omni parte fingere atque animo suo excoxitatum legentibus proponere. Quod ad Proclum et Ammonium præcipue attinet, non ea est eorum auctoritas ut in disputationem venire non debeat; et, quod affirmant, utique summa cura perspiciendum est. Neutri enim sub oculis ponebantur ipsa philosophorum opera quæ explanare volebant; ea exscriptis tantummodo exemplaribus, quæ mendis profecto plurimis inficiebantur, perlustrabant, et quam suspiciosissimo animo accipienda sunt quæ nobis præbent documenta. Cum enim opinionibus et erroribus, qui apud æquales suos vigebant, ipsi imbuti essent, quæ remotis sæculis philosophi ediderant difficillime poterant intellegere; cumque, quomodo paulatim adoleverit et vires auxerit Græcorum philosophia prorsus ignorarent, Democriti aut Heracliti doctrinam vero adspectu ac recta ratione non poterant considerare.

Difficillimum igitur, si modo aliquo fieri potest, videtur certa et exacta ratione perspicere, et ex paucissimis documentis eruere quid de sermonis origine et natura senserint illi philosophi qui ante Platonis tempora vixerunt. Quare non tentandum, mea quidem sententia, ex historia philosophicarum doctrinarum Cratyli interpretationem expromere. Non ita vero de ea re judicaverunt pleri-

que, ne dicam omnes, recentiores scriptores, qui illi dialogo studuerunt : nescire quod scire non poterant eos puduit, et Procli Ammoniique exemplum secuti, ex ipso Cratylo Cratyli interpretationem et originis explicacionem deduxerunt. Ex inductionibus inductiones eruentes, ea quæ ceterum de universis Heracliti, aut Democriti, aut Zenonis aut Protagoræ institutis et præceptis sci- mus solertissime adhibentes, quæ fuerit aut esse debuerit apud philosophos, qui Platoni ætate anteierunt, « sermonis philosophia » restituerunt, aut, ut rectius dicam, instituerunt. Eadem vero argumentandi atque excogitandi ratione usi, non ad eadem omnes pervenerunt, et sua cuique opinio tantummodo placuit. Quare quid censem non a fronte, ut ita dicam, sed oblique offerunt et legentium animo subjiciunt : non enim, si illis credendum est, quid de sermone docuerit Heraclitus aut Protagoras ostendere volunt : quod profitentur nullo modo fieri posse. Illis tantum, ut aiunt, adversarios quærere et detegere placuit quos in *Cratylo* Socrates insectatur, causasque explicare quibus modo Heraclitum, modo Protagoram videtur lassessere atque etiam revera lassedit. Ingeniosus quidem et artificiosus est anfractus : quis vero decipi hoc diverticulo possit ? Quacumque enim ratione excogitata illa exponunt, quibus varias de *Anteplatonica* philosophia quæstiones, quæ ad *Cratylum* attinent, expidre se et enodare præ se ferunt, nihil aliud illa sunt nisi incertissimæ conjecturæ. Cum etiam sit quam maxime mirum impedimenta per ipsa impedimenta superare, et obscura per obscura explanare velle, nonne patet ex eo, quod inter se tantum dissentiant, omnem auctoritatem his conjecturis eripi ? Si quis enim interrogatione

ipsa responsi loco utatur, nonne quæstionem fugitavissem,  
non solvisse jure dicatur?

Affirmat Zeller (1) Heracliti discipulos præceptorum a magistro suo traditorum tenacissimos a Socrate in *Cratylō* plerumque ac præcipue lacessi, atque eamdem tuetur Stallbaum opinionem (2). Negat vero Steinthal (3) Heraclitum ipsum doctrinam quamdam de sermonis natura exprompsisse, et Cratylum asseverat amplificavisse et in unum conglutinavisse ea quæ ad sermonem attinebant et dissoluta in præceptis magistri condebantur. Quod profecto fieri potuit: unde vero ad probandum satis firma argumenta? Democritum autem linguam naturæ convenienter esse formatam negavisse contendit Steinthal, Procli auctoritate nixus, cuius hæc fere sunt verba: « Nomina ab hominibus facta esse affirmabat Democritus... eaque casu non natura orta esse ». Nullum testimonium, quod opinionem illam confirmet, antiqui reliquerunt. Subjicit etiam Steinthal Democritum sæpissime etymologiis usum fuisse, et ita nominis cum nominata re quamdam concordiam probavisse: illud contra Heraclito attribuit Stallbaum (4). Opinionem suam exemplo fulcire conatur Steinthal (5): quid vero valeat exemplum, facile apparebit: citat enim hæc Democrati verba: « πάλιν τὸ μὲν διὸ τῶν σαρκέων, τὸ δὲ διὰ τῶν ἐν κεφαλῇ ἀναπνοέων (ὅθεν τὸ ζῆν καλοῦμεν) ἀπολείπουσα ἡ ψυχὴ τὸ τοῦ σώματος σκῆνος... » In illis autem verbis etymologiae vestigium invenit Steinthal: ego vero nullum video:

(1) Zeller, *op. cit.* T. II.

(2) Stallbaum, *op. cit. Præfatio ad Cratylum.*

(3) Steinthal *op. cit.* 78-80.

(4) Stallbaum, *Præfatio ad Cratylum.*

(5) Steinthal, *op. cit.* p. 78-80.

non sane e philosophorum verbis eruendum quod volamus, sed quod revera inest. Quæ igitur his inductionibus fides adhiberi debeat, hoc exemplo judica : non illud philosophari, sed jocari est ac nugas agere.

Quod ad Protagoram attinet, non major est inter recentiores consensio : ex convento formata esse nomina eum docuisse contendunt Hermann (1), Deuschle (2), Susemihl (3), Schmidt (4) : naturæ contra consentaneum esse sermonem eum dixisse asseverant Stallbaum (5), Steinhart (6), Dittrich (7). « Non nostrum tantas componere lites » ; at illud imprimis animadvertendum est utriusque opinionis fautores iisdem inniti documentis, Protagoræ scilicet verbis, quippe qui dixerit hominem omnium rerum esse modum, et ipso, de quo agitur, *Cratylo*. « Fieri profecto non potuit, ait Stallbaum, quin etiam nomina rerum talia judicaret esse qualia a quoque sensu perciperentur, hoc est naturalia ». Deuschle contra : « Heraclitus opinionem tuebatur, nomina necessaria cum natura concordia creari; fieri non poterat quin ea ex arbitrio hominum informari Protagoras contendret. » Quæ cum ita sint, non facile inter duas illas partes conveniet. Attamen ut adversas componat opiniones, fingit Susemihl (8) non ipsum Protagoram ea, quæ necessario ex principio supra memorato defluebant, certis expressisse verbis, nec jam posuisse nomina ex convento

(1) Schmidt, *op. cit.* p. 4.

(2) Deuschle *Platonische Sprachphilosophie*, apud Steinalthal et Schmidt.

(3) Susemihl, *op. cit.* p. 163.

(4) Schmidt, *op. cit.* p. 4-6.

(5) Stallbaum, *op. cit.* p. 17.

(6) Steinhart, *Einleitung zum Kratylos*, p. 536.

(7) Dittrich, *Prolegomena ad Cratylum*.

(8) Susemihl, *op. cit.* p. 163.

et pacto creari, eo tempore quo colloquium, quod in *Cratylō* refertur, collocari debet, ita ut facilius eo a Platone adducatur Hermogenes, quamvis verba ex hominum arbitrio fieri pertinaciter asseveret, ut nihilominus principium illud Protagorae expresse rejiciat. Gratiae profecto huic opinioni habendae, quod diversissimas affirmationes componere tentat : quibus vero certis documentis innitatur, nec video, nec ipse Susemihl dicere potest. — Quam inanes sint illi conatus, quam frustra de illa quæstione ingenii acumen exerceatur, ostendit ipse Steinhald (1), quippe qui, licet summa cura perspicienda rationi, qua ante Platonem de sermone tractaverint philosophi, studuerit, nihil tamen proficere, nec quidquam, ut videtur, consequi potuerit. Specie enim definiendi quid, cum de sermone agitur, verbis « natura » et « convento » exprimatur, fusius de significatione vocabulorum φύσει et νόμῳ disputat. Et certe apertissime demonstrat quis fuerit horum vocabulorum sensus, et quo modo sensim a primis philosophis ad sophistas usque et ad Platonem mutaverit : quid vero significant, cum de sermonis natura quæstio fit, quod profecto gravissimum erat, ne uno quidem indicat verbo. De ea re nusquam apud eum, nisi cum in disceptationem venit *Cratylus*, mentio fit, tumque etiam breviter et quasi invite. Quare pars prima operis, quod Steinhald edidit, tota fere a proposito digreditur : nec mirum, quoniam non ea est quæstio quæ documentis antiquis illustretur, nec ea quæ sola mentis cogitatione dilucide perspiciat ac solvatur. Non igitur materiam illam ipse tractabo, et ad eruenda quæ

(1) Steinhald, *op. cit.* p. 39-76.

de sermonis origine et natura in *Cratylō* dixit Plato, confessim incumbo.

**2º Quomodo verba constituta sint, Socrate auctore,  
ostenditur.**

Non id sibi proposuit in illo dialogo Plato, quod recte notat Steinthal (1), ut doctrinam aliquam de sermonis origine ex omni parte perfectam in lumen ederet. Non peculiariter huic quæstioni operam dare consentaneum erat Platonem, quippe qui rerum naturam, non formam et speciem, ut animo perciperet eniteretur, et acutissime inquireret, quæ reapse essent res, non quomodo adolevissent certumque ad statum pervenissent. Attamen fieri, ut ita dicam, non poterat quin aliquando, aliam ingressus viam, in hanc rerum studio penitus cognoscendarum deduceretur : quod re in *Cratylō* accidit. De nominum enim proprietate disserit Plato, et quomodo congruat nomen cum re, quæ nominatur, diversis perpensis philosophorum sententiis, aperire et explanare conatur. Utrum igitur nomen perfecta sit et exactissima rei imago, et ex nomine res perspici possint, an contra ex convento tantum inter homines scienter aut inscienter composito certas res nomina designent animoque subjiciant, disputantibus Cratylō et Hermogene, Socrates querit. Diversissimas autem illas doctrinas, quarum utraque, si Platoni credendum est, accerrimis fautoribus defendebatur, viçissim aggreditur et refellit. Ostendit enim non convento

(1) Steinthal, *op. cit.* p. 84 et pass.

tantum inniti et stare posse sermonem, nec magis tamen in verbis, quibus eo tempore utebantur, inesse rei cum nomine concordiam, monstratque nihil aliud esse vulgatam per homines linguam nisi incompositam et imperfectam imaginem linguæ illius, quæ animo tantum excoigitari potest, et in qua, si quando perficiatur, verborum syllabis et sono designatarum rerum quam exactissime effingatur natura. Quis sit sermo ille perfectus et pæne divinus ? Cur illius loco balba, ut ita dicam, lingua utimur, quæ exprimendis rebus adeo impar est, ut tacito plerumque pacto opus sit, ut ab hominibus homines intelligantur ? His autem interrogationibus ut respondeat Plato, ostendat oportet quomodo sermo constitutus sit, et quomodo paulatim, interposito tempore, ab hominibus ipsis immutatus fuerit. Non igitur eo dialogus præcipue spectat, ut Platonis de sermonis humani origine sententiam evolvat : nihilominus accuratissime ab eo quæstio illa pertractanda et in lumen producenda est, cum ad eam referantur et ex ea quasi pendeant illa de quibus, contra dicente Cratylo aut Hermogene, agitur a Socrate. Testimonio sit dialogi summarium, quod priori dissertationis parti inserui.

Si Socrati disputanti fides adhibenda est, cum nomina scrutatur, et rationem, qua formata fuerunt, quærit, nullam animo præcogitatam opinionem habet, et quo feratur, dum nomina explicat, nescit (1). Rebus enim ipsis dirigi se contendit, et iis impulsum tam nitide tamque circumscripte extremis dialogi capitibus argumenta concludere. Neminem vero fugit quid valeant

(1) Crat. 384 C.

illa Socratis verba : ratio enim, qua ad perpendenda et perspicienda nomina utitur, rectior est quam ut ex casu tantummodo manet, et majora gravioraque sunt ea quæ ex disceptatis argumentis colligit quam ut ab eo currente, ut ita dicam, sermone inventa sint. Nullum igitur neglegendum est indicium, ne ironia quidem involutum, quo vera Platonis sententia reperiri possit, et quasi religiose aestimanda et examinanda sunt omnia quæ vel jocando irridendoque profert.

Ab initio statim dialogi, ut verba, quæ citat, explicet, partes eorum subtiliter dispicit, eaque in diversa, ex quibus specie constant, elementa resolvit. Arbitratur enim vocabula, qualia in quotidiano sermone apparent, non ea esse quæ nullis ex partibus constent, quæque nisi invita natura dissolvi possint : existimat contra verbum plurium partium esse quasi coagmentum, quarum unaquæque propriam significationem exhibet, significationemque illam, licet interdum paululum immutetur, numquam tamen omnino aboleri (1). Non dubium profecto est quin non plane perspexerit Plato quæ sit propria harum partium vis ; non dubium etiam quin non aperte viderit inter ea, quæ verbum constituunt, elementa prævalere et quasi dominari nonnulla, quibus concluditur illius verbi, ut ita dicam, germen et quasi radix, illudque tantum animo præsumpsit et confuse præsenserit. Nam etymologiæ, de quibus jam supra dixi (2), quibusque varia illa vocabulorum elementa distinguere conatur, ne in disceptionem quidem venire possunt, nedum a nobis probentur. Attamen, non, ut etymologiæ, ita rej-

(1) Crat. 392 A — 424 A.

(2) Vide pag. 40 sqq.

cienda et contemnenda est ratio, qua Plato utitur ad discernendas varias nominum partes et evolvendam harum partium significationem. Non aliam enim viam ingressi tam clara et tam exacta invenerunt recentiores. Quare prorsus injustum sit omnem Platonis de sermonis origine doctrinam jam a principio respuere, propter ridiculam, nostra quidem sententia, nominum quorumdam interpretationem (1).

Derivata igitur, aut, ut rectius dicam, composita sunt pleraque verba. Ex quibus igitur elementis constant? Quomodo formata atque inventa fuerunt? Dilucide profecto quæstio ita proponitur. Ut bene intelligamus, ait ipse Plato, qua ratione variae hominum linguae, aut potius lingua Græca (quam ceterum unam introspicere poterat) creata et constituta fuerit, non composita verba, sed simplicia et primigenia scrutanda sunt verba (2). Non quidem semper facile erit nativa illa verba discernere et ex compositis formis abstrahere: nam accidere potest ut ipsa ab usu quotidiani sermonis intermissa perierint, aut propter antiquiorem speciem primo aspectu a nobis non dignoscantur (3). Nihilominus tamen verum est existere ea, totamque ea fulcire linguam, cuius quasi compagem informant, eorumque originem cognoscere debere illum qui scire velit quomodo paulatim lingua adoleverit (4). Primigenia autem illa verba ab hominibus tantum creata sunt. Paucis enim verbis opinionem illorum redarguit Plato, qui ponebant sermonem a diis hominibus traditum fuisse: illud pro-

(1) Vide quæ de ea re p. 10 sq. protuli.

(2) Crat. 424 A.

(3) Crat. 421 D.

(4) Crat. 426 A, B.

rem aut omni ex parte aut præcipuis tantum ex partibus effingat (1). Ita, ut exemplo utatur Plato, juxtapositus quadam ratione in tabula fusco viridis color imaginem efficit, qua oculis arbor repræsentatur: cum etiam certum quemdam brachiorum motum actum videmus, eo plerumque adducimur, ut avolantis avis alarum jactatum animo concipiamus, idemque de ceteris imaginibus fit, quibus res imitamur. Id igitur nomen, quod quidem proprium sit, esse debet, ut syllabarum litterarumque sonum efficiat, quo auditio nascatur in animo nostro designatae rei imago: nomen, ut brevioribus utar verbis, rem imitari debet (2). At non rudis et incondita sit illa imitatio oportet, sicut fit cum pueri, ut animal animo nostro repræsentent, vocem illius vel sine arte imitantur (3). Ne ita quidem rem imitari deceat, ut colorem, aut speciem, aut sonum ejus tantummodo referamus: hoc enim picturæ aut musicæ munus (4). Quod igitur voce imitandum est, et per aures sensibus nostris subjiciendum, nihil aliud est nisi intima rei natura, id est illud quod rei maxime proprium est et in ceteras rei species quasi dominatur, qualis est nitor, aut dulcitudo, aut levitas, aut celeritas, et alia similia (5),

Primigeniis autem verbis, et variorum elementorum, ex quibus constant, id est litterarum syllabarumque sono efficitur illa rerum imitatio. Quærenda est igitur ratio

(1) Crat. 422 E.

(2) Pulcherrima igitur ac perfecta videatur esse Platoni illa linguae species, quæ res quales revera sunt exactissime effingat et repræsentet; esse vero illam linguam ipse profitetur apud homines non posse, quia res, quales sunt, non novimus, sed quales videntur esse.

(3) Crat. 423 C.

(4) Crat. 423 D.

(5) Crat. 423 D, — 424 A.

fecto tragœdiarum scriptoribus relinquendum esse contendit, et eo doctrinam illam refelli, quod in lingua inveniuntur multa quæ inter se discrepant, multa quæ sine dubio imperfecta sunt (1). Quod ad opinionem philosophorum attinet, qui linguam Græcam ex variis barbarorum sermonibus originem contendebant traxisse, summa cum prudentia memoranda et ad explicanda verba adhibenda est (2). Non sane denegat Plato nonnulla vocabula a barbaris mutuatos esse Graecos et in suum sermonem translusse; sed multo minus ea numerosa esse quam quis credere possit declarat. — Attamen non hic standum: primigenia enim illa verba aut potius elementa, quæ simplicissimam ad minimum deducti sermonis humani formam auribus et oculis repræsentant, per se ipsa explicanda sunt; nam ad alia simpliciora etiam elementa nullo modo redigi possunt, ex quibus originem et significationem sumpsissent. Facilior autem est quam primo adspectu videtur explicatio.

Primigeniis enim haud aliter ac compositis verbis utimur, ut res a nobis excogitatas exprimamus. Verba igitur res, si non tales, quales revera sunt, repræsentant, at quales saltem nobis esse videntur (3). Quod si inest in derivatis illa proprietas, a primigeniis, quibus formantur, in ea sine dubio transiit. Primigenia igitur verba præcipue et quam exactissime res repræsentare animo nostro et exscribere debent. Nulla autem melior ratio animo cujusdam rem quasi præsentem efficiendi reperta est, quam si quis, cum res absit ipsa, oculis nostris subjiciat imaginem, quæ

(1) Crat. 426 A.

(2) Ibid.

(3) Crat. 436 B ; 439 C et passim.

aliqua, qua significatæ rei signum conveniat, et cum re congruant aut syllabæ aut singulae litteræ. Hic vero non possum quin animadvertam quam audacter simul ac sagaciter procedat Plato. « Duabus rationibus, ait Bœck (1), ad cognoscendam naturam sermonis humani perveniri potest : quarum altera, primigenia verba resolvendo, et ad simplicissima elementa sua redigendo, propriam syllabarum cuique significationem quærimus, et reperta illa significatione, singularum litterarum sensum indagamus ; altera litteras primum in classes distribuimus, res deinde ad simplicissima elementa reducimus, et, rebus quoque in classes distributis, quærimus utrum congruant necne verborum classes cum rerum classibus ». Duarum autem rationum posteriorem elegit Plato et his exposuit verbis (2) : « *Socrates*. Quoniam syllabis et litteris *essentiae* imitatio efficitur, nonne rectissimum est litteras primum distinguere, quemadmodum ii qui circa numerorum studium versantur, litterarum primum, deinde syllabarum variam vim distinguunt, et tractatis his tantum, non antea, ad ipsos examinandos numeros incumbunt ? — *Hermogenes*. Ita vero. — *Socrates*. Nonne igitur nos quoque ipsos oportet ita plures primum classes litterarum distinguere : primum quæ nominantur vocales, deinde, secundum naturam et speciem, inter consonas discernemus hinc mutas et ἀφθογγους litteras (his enim utuntur nominibus horum studiorum periti), et illic litteras, quæ neque vocales neque tamen mutæ sunt : quod denique ad vocales ipsas attinet, nonne inter tot

(1) Bœck *Von dem Uebergange der Buchstaben in einander* (Studien von Daub und Creuzer, IV, 369-372) apud Schmidt, *op. cit.* p. 61.

(2) Crat. 424 BC.

classes distribuentur, quot species habent ? Cum autem hæc distinxerimus bene omnia, nonne perpendendæ erunt res, quibus nomina imponere oportet, et quærendum utrum sint necne inter eas quædam ad quas omnes referantur, quemadmodum id litteris accidit, et per quas ceteræ explicentur, atque etiam videndum num in variis species, ut litteræ, distribuantur. His igitur omnibus bene consideratis, imponendum sit cuique rei nomen, quod ei simile sit, sive imponendum sit simplex quoddam nomen, sive compositum ex pluribus sit elegendum. Et velut pictores, ut perfectam efficiant imaginem, modo colorem unum, ut purpuram, aut simplicium colorum quemlibet, adhibent, modo autem plures immiscent colores, ut fit cum carnem effingere volunt... ita nos quoque cuique rei nominandæ modo unam litteram imponemus, modo plures in syllabam coactas, modo plures syllabas inter se conjunctas, quibus nomina et verba efficiemus... At rectius non nos ipsi illud faciemus, nam longius me provexit oratio ; illa enim verba, qualia sunt, jam composuerunt antiqui ; nos igitur decet, si ea perite considerare volumus, verba illa in classes distribuere, ut jam fecimus, et quærere utrum convenienteribus necne vel primigenia, vel derivata nomina. » Magno certe tantummodo ingenii acumine ita ex omnibus partibus inveniri poterat illa investigandi via et excogitari illa tractandæ materiæ ratio, qua res primum in nativas et compositas dividebantur, deinde in classes ex essentia distribuebantur, quæ litterarum classibus respondebant, ita ut imponenda tantum esset verborum quasi tabulæ rerum tabula, ut distinctissime appareret cui rerum classi responderet certa aliqua verborum classis.

Non vero is erat Plato qui ratione illa fretus inquisitionem ad extremum finem ducere posset, quippe qui linguam Græcam usu tantum, non meditatione ac scientia cognosceret. Quare ipse in dialogo fatetur vires suas superare illud opus (1). Attamen non parvi facienda et prorsus admiratione digna sunt ea quæ cogitatione reperit et in lumen produxit : illam, de qua loquitur, nominum cum rebus concordiam velut primis tantummodo lineis adumbravit ; at in iis tamen quæ dixit, nihil fere reprehendendum est, testibus ipsis recentioribus eruditis, qui de ea re sæpe Platonem ad verbum secuti sunt. Hæc igitur ex nominibus, quæ explicare aggressus erat, collegit Plato (2) : verba, quæ exprimunt :

<i>fluentia quædam</i> , litteram exhibit	ρ	(ροή)
<i>penetrantia</i>	»	ι (ιέναι)
<i>spirantia, inflata, agitata</i>	»	σζφψ (σεισμός)
<i>lubrica</i>	»	λ (λεῖον)
<i>lenta</i>	»	γλ (γλίσχρον)
<i>intro se moventia</i>	»	ν (ἔνδον, ἐντός)
<i>rotunda</i>	»	ο (στρογγύλον)
<i>ingentia, lata</i>	»	α,η (μέγας, μῆκος)
<i>resistentia</i>	»	δ,τ,γ(δεσμός, στάσις)

Nomen igitur imitationem ait esse Plato quam perfectissimam ; rem sono imitatur, et, ut ipsius Platonis verbo utar, ὄνοματοποία est. Non vero de vocabuli hujus significatione errandum est, quod in latissimam partem interpretari decet. Nam sunt, ut ipse notat Plato, plura genera et plures gradus ὄνοματοποίας : primum genus est

(1) Cf. quæ supra dixi, pag. 30.

(2) Crat. 426 C.

earum , quæ res quam simplicissime et imperitissime imitantur, et vocem aut sonum tantum referunt demonstrandi aut animalis aut rei : exemplo sint *ululatus* et ἀλαλαγμός. Hic est primus ὄνοματοποίας gradus : de illa imitandi ratione dici potest quod Bœck recte animadvertis (1) : « Ut assignetur, inquit, quod difficillimum est, cuique litterarum significatio simplex et nativa, a littera, ab ipso sono utique procedere possumus, litteramque aut sonum ut sonitus, qui ad aures fertur, imitationem, atque, ut usurpato crebrius verbo utar, ut ὄνοματοποίαν accipere : non vero ab hoc principio exorsus longe progrediari ; non enim ex ὄνοματοποίαις consistit unice lingua ». Attamen erret qui credat eam velut puerilem imitationem in dialogo a Platone magni aestimari : de elatiore quadam imitatione agitur, quæ rationi magis consentanea est, et non res quales esse videntur, sed quales revera sunt imitatur aut imitari conatur : quare iis, quæ supra sensus in rebus sunt, aut auribus non percipiuntur, quasi formam et corpus præbet recta illa ὄνοματοποία ut sono ea quoque exprimantur (1). Nitor enim, dulcitudo, amaritudo nec auditu percipi nec voce effungi possunt : sed ea sonis assimilat hominum animus. Agendi quadam ratione, qua omnes nondum adultæ mentes et linguae sæpissime utuntur, ex propria significatione ad translatam confugit, et, ut dulcitudinem aut levitatem exprimat, verbo translate utitur, quod sonum jucundum auditu primum designabat ; ut amaritudinem exprimat, verbum usurpat verbo simile, quo sonus importunus auditu ac peracutus significabatur.

1. Bœck, *op. cit.*, *loc. cit.*

2. Cf. supra, pag. 48.

Longius vero progrediendum est : per se enim ipsas certam significationem habent litteræ, aut potius, ut diximus, ad certos sensus effingendos accommodatae natura sua sunt. Littera  $\rho$ , ut exemplo utar, signum haberri potest, quo continuum et fluidum motum exprimimus ( $\phi\epsilon\omega$ ,  $\phi\circ\eta$ ) ; littera  $\delta$  in nominibus, quæ impedimenta designant, natura inest. At ea causa tantummodo ad id valent illæ litteræ quia ab hominibus notatum est littera  $\rho$  pronuntianda volvere linguam in ore, littera  $\delta$  contra pronuntianda hærere quodammodo linguam. Has igitur litteras ad nominandas res quæ extra nos sunt cum usurpamus, necesse est jam eo ipso tempore conferamus ea quæ in nobis aguntur cum iis quæ extra nos accidunt ; eo ipso, quod res nominamus, a propria significatione ad translatam divertamur oportet, et  $\mu\varepsilon\tau\alpha\varphi\circ\rho\dot{\alpha}\nu$  adhibeamus. Non enim nisi  $\mu\varepsilon\tau\alpha\varphi\circ\rho\dot{\alpha}$  comparari potest aquæ decursus cum linguæ motu in ore volventis, et molestia nobis vinculo imposta cum difficultate, qua hanc aut illam litteram enuntiamus. — Omnes igitur linguæ, quæcumque sunt, eo informatæ sunt, quod ex propria significatione ad translatam verba detulerunt : unde fit ut per  $\mu\varepsilon\tau\alpha\varphi\circ\rho\dot{\alpha}$  tantum loquamur. Neminem certe fugit non justo longius disceptatione progrediendum esse, et ipse jure animadvertis Plato quam ridiculum sit contendere in lingua, qua utimur quotidie, omnia verba  $\dot{\alpha}\nu\circ\mu\chi\tau\circ\pi\circ\iota\alpha\varsigma$  esse (1). At animo ad initia linguarum regrediamur, et ad primigenia verba, quantum fieri potest, nos referamus. Paulatim decrescit verborum multitudo, evanescunt varia, quæ vocabula nunc segregant, significationis dis-

1. Crat. 435 C.

crimina; verba quæ nunc propria esse credimus, translationem continere appetit. Ad paucissima demum verba retinenda adducimur, quæ vere proprio sensu adhibentur, et res, quibus exprimendis creata sunt, revera exprimunt, ideoque recte et exacte eas designant, quia ex omnibus aut ex nonnullis partibus eas imitantur, quia partim ὄνοματοποιίᾳ ficta fuerunt, partim concordia quadam inter auris ceterorumque sensuum motus constituta fulciuntur. Primis quidem sermonis temporibus, rudis etiam et imperfecta imitatio est, et rebus, ut ita dicam, inhaeret. Paulatim vero audentior fit: hominum enim animus rebus quæ extra se fiunt intentus et omnes inter res similitudines deprehendere sensim assuetus, ea quæ videre aut tangere potest, sed quæ muta sunt, eadem denominandi ratione designat atque ea quæ sonum aliquem edunt. Inventa autem et monstrata via, celerius procedit lingua, augentur et multiplicantur translata verba, adolescente et vires sumente hominum ingenio. Ex rebus quas aut videre aut tangere licet, ad animi virtutes et ad ea quæ extra sensus cadunt nominanda transit lingua. Tunc vero verba, ut supra diximus, ea specie, quam in quotidiano sermone habent, considerata et cum rebus quæ designant comparata, non jam ὄνοματοποιίαι sunt: nec quisquam profecto illud denegare ausit. At illorum originem si mente repetemus et proprium sensum quæreremus, ubique reperietur ὄνοματοποιία. — Hæc de ea re sentit Plato cuius sententiam neque adulteravisse me neque amplificavisse affirmare non vereor. Et certe difficile sit ad explicandum quomodo verba creata fuerint, doctrinam invenire quæ simplicior et dilucidior sit, quæque cogitationi simul ac rationi melius satisfaciat.

**3º Quomodo primigenia verba immutata et adulterata  
fuerint ex sententia Socratis exponitur.**

Postquam autem quomodo constituta sint verba auctore Platone ostendimus, restat ut speciem, quam in quotidiano sermone habent, explicemus, demonstremusque quibus ex causis formam paulatim mutaverint, ita ut saepe difficillime agnoscantur. Recte vero primum intellegendum est quae fuerint, quae esse potuerint primigenia illa verba, de quibus supra locuti sumus : jam enim Platone duce exposui ea non res quales sunt sed quales esse nobis videntur imitari (1). Illo tamen etiam concesso, num exacta et perfecta esse potest illa imitatio rerum ? quatenus ὀνοματοποία nomen esse potest ? Huic sane interrogatori respondere primum decet, antequam de variis mutationibus verborum dicere instituimus, ne falso mutationes illas intellegamus et male quomodo præsentia verba cum primigeniis conjungantur, concipiamus. Quærendum igitur utrum primigenia verba, qualia humani sermonis initio creata fuerunt, primigeniis verbis, qualia ad exprimendam lucide designatarum rerum naturam esse debebant, prorsus similia revera esse potuerint, necne. Duæ et illæ quidem gravissimæ causæ obstant, natura scilicet ipsorum nominum, illiusque etiam aut illorum qui nomina creaverunt natura. Nomen enim rei imago est voce et sono effecta (2) ; imago autem rem quam imitatur, omnibus ex partibus et perfectissime referre non potest ; sin autem, imago non jam sit, sed altera potius res

(1) Crat. 439 C ; 436 B et passim.

(2) Crat. 431 C, D.

priori quam simillima: « Lepidum sane, Cratyle, ait Socrates, hoc sit, si verba rebus prorsus similia evadant: duplia enim omnia sint, nec ulla jam ratio sit discernendi ubi nomen, ubi res ipsa versetur » (1). Insit igitur oportet in nomine vitium aliquod, et aliqua, ut ita dicam, desiderentur, ut a designata re secernatur: quare, quamvis facile sit perfectum nomen cogitatione in animo constitutere, in quotidiano sermone inveniri non potest. Admittendae etiam sunt inter varia nominum elementa litteræ quædam, quæ naturæ nominatae rei non conveniunt; et eximiam illam nominis speciem, quam mente concipimus, lingua et voce efficiendo, concedere debemus necessitatem ab imitatione distinguendi (2). Optimum igitur nomen erit illud quod elementis suis imitationem plurimum efficiet: non vero sperandum fore ut quidquam inveniatur in quo elementa ad imitationem apta nullum alienis a natura rei litteris aut syllabis locum relinquant. Non modo enim nomen, ut supra dixi, nihil aliud esse potest nisi imago, sed etiam hominum opus est. Quæcumque enim Platonis sententia est de illo qui nomina rebus imposuit, de qua paulo infra disseram, non dubium est quin illi nihil divini, nihil quod humanam naturam superet, habere videatur *νομοθέτης*. Ab hominibus igitur nomina creata sunt, et, velut omnia quæ ex hominum labore et industria originem trahunt, perfectionem nunquam assequantur. Imo vero, non ejusdem etiam pretii omnia sunt illa nomina, prout ille qui ea finxit quomodo verba rebus convenienter cognitum habebat, prout etiam in verbis

(1) Crat. 432, D.

(2) Crat. 432 E.

naturam rerum impressit (1) Primigenia igitur verba perfecta esse non possunt.

Illa vero primigenia verba, hæ primæ vocabulorum species, non integra etiam, sed magis ac magis mutata et adulterata ad nos pervenerunt. Paucis verbis obiter harum mutationum causas Plato indicat, nec fusius ego de illo doctrinæ puncto loquar, cum facillimum sit argumenta Platonis explicare et absolvere. Primum autem ratio dialectorum maxima habenda est, in quibus non semper idem valet eadem littera, quibusque verba licet a vicina dialecto mutuari, quæ serius ociusve in dialectum, ex qua egressa erant, plus minus corrupta redeunt (2). Non quidem commemorat Plato etiam dialectum ad mutandam vicinam dialectum, omissis iis quæ invicem sumuntur, non minimi sane esse momenti : attamen credere licet hoc eum non fugisse, quanquam de ea dialectorum vi in *Cratylo* nusquam mentio ab illo facta est.

Indicanda etiam est alia causa cur adulterentur nomina, quæ licet minus valeat, non tamen prætermittenda est : ex « tragicarum formarum studio » (3) eam constare jocose affirmat Plato ; eam vero, ipso Platone auctore, ex nativa apud Græcos dulcium et suavium sonorum cura (4) defluxisse rectius contendas. Nonnulla enim homines converterunt et corruperunt falso pulchri studio (5). Hoc vero non sæpiissime accidit ; multo frequentius tempore ipso mutata fuerunt verba, quippe quo, quemadmodum

(1) Crat. 431 D ; cf. 428 E et passim.

(2) Crat. 434 C sqq.; cf. 400 D ; 409 A.

(3) Crat. 414 C : τὰ πρώτα ὀνόματα τιθέντα κατακίγωσται οὐδη̄ ὑπὸ τῶν βουλομένων τραγῳδεῖν αἴτια.

(4) εὔστομιας ἔνεκα, ibid.

(5) οὐπὸ καλλωπισμοῦ, ibid.

aspera terantur saxa et fluviorum calculi poliantur, ita terantur et poliantur ea quæ in primis verbis dura et rugosa sunt (1). Attamen non uno harmoniæ studio immutantur verba, nec eo semper spectat illa nominum quasi depravatio, ut facilius, aut dulcius aut modulatius enuntiantur. Accidit enim interdum ut linguae segnitia edatur depravatio illa, quæ, cum difficilis litteras quasdam proferat, earum sonum paulatim mollit atque etiam omnino prætermittit. Breviores ita fiunt primigeniæ verborum formæ, quæ eo ipso facilius enuntiantur. Notare autem non inutile profecto erit ab hominibus præsertim ita contrahi et in angustum adduci vocabula : mulieres enim, ait Plato, multo fidelius nativas formas et antiquos sonos memoria atque sermone tenent (2).

Volventibus igitur annis, magis et magis corrumpuntur pristina verba, magisque ac magis homines fugit nomen cum re nominata quam arctissime congruere debere. Quare illam concordiam aut asservare aut restituere nemo curat, et ignorantia vera verborum natura læditur. Alienæ enim introducuntur litteræ, quæ res imitari non possunt et saepe verbi significationem offendunt: aliæ contra tolluntur quæ philosopho utiles aut necessariae esse videntur. Quare interdum evenit ut omnino mutetur verbi cuiusdam species (3), et acuto sapientis oculo opus est ut in eo reperiantur et dignoscantur priscæ syllabæ nativaque elementa (4).

Verba igitur quibus utimur primigeniis verbis parum

(1) ὑπὸ χρόνου, ibid,

(2) Crat. 418 C; cf. 399 B, et passim.

(3) Crat. 394 A B ; 399 B ; 432 E ; 414 D... τελευτῶντες ποιεῦσσιν μηδὲν  
ἔναν οὐθρώπων συνεῖναι ὁ τι ποτε δούλεται [τὸ σὸν μα].

(4) Crat, 421 D.

respondent, et primigenia verba ipsa verbis, quæ ut perfecta mente concipere licet, non respondebant : multa insunt in sermone vitia et multum differt lingua quam usurpamus ab illa quam ad rerum imaginem informare conabantur primi homines. Attamen, cum colloquimur cum aliis hominibus, intellegimus et intelligimur : quod fit profecto quia, mutantibus nominibus, novo principio constituta et fixa est syllabarum cum significatione convenientia : ad conventum enim confugunt homines (1). Ut enim verba rerum imagines esse desierunt, quo confusius et vitiosius res nomina repræsentabant, quo denique obscurius elementa ex quibus constabant ab hominibus discernebantur, eo celerius et latius inter homines ad tacitam, ut ita dicam, pactionem ventum est, quæ non uno eodemque temporis momento, sed paulatim et vicissim omnia complexa est verba, et nominibus significationem pristinam, quamvis mutante forma, pæne integrum servavit, ita ut sedato eodem ac continuo motu sermo, qui primum rebus ipsis quasi necessario definitus et constitutus fuerat, humandum opus evaserit, quod homini maxime proprium est, quodque si tantum intellegere possunt, qui effecerunt. Quare licet initio et principio concordia nominis cum refulciatur sermo, nihilominus tamen verborum, quibus utimur, conuento significatio servatur et defenditur, et quia partim natura, partim pactione lingua innititur, ideo, mutant vocabulorum specie, permanet et ad exprimendas suppetit cogitationes vel diversissimas, quas variæ hominum ætates expromunt vicissimque proferunt.

(1) Crat. 435 C.

4º De legislatore in Cratylo laudato.

Ea sunt igitur quæ de sermonis humani origine et natura in *Cratylo* edisserit Socrates. Superest tamen aliquid quod interpretationem et lucem desideret. Verba enim dicit Plato a *legislatore* (1) creari. Quis autem sit ille νομοθέτης, quomodo animo nobis fingendus sit summus ille sermonis inventor et creator, non plane perspicuum est. Diversissimæ igitur sunt de ea re recentiorum scriptorum sententiæ : præcipuas tantum memorabo. « Qui Platonis loquendi rationem novit, ait Steinhart (2), scire debet eum in locum languidiorum cogitationum, quæ in universum expromuntur, personas animatas et vividas supponere : quare in hoc quoque dialogo, ne de universo populo, qui sibi sermonem invenit, loqueretur, de uno tantum *legislatore* mentionem facit, qui populum ipsum repræsentare debet. » Objicit autem Deuschle (3) eam agendi rationem antiquis plane incognitam fuisse, asseveratque illum *legislatorem* nihil nisi mythicam personam esse, a Socrate in dialogum introductam ut argumentis Hermogenem impediret. Steinthal autem (4) : « Ille νομοθέτης neque mythica neque commenticia persona est, neque populi partes agit : quis sit in dubio consulto relinquit Socrates, quia illi in disceptatione nihil agendum est. Hoc tantum de eo dici debet, eum remotissimis temporibus esse collocandum..... » ; at paulo post

1. Crat. 388 D. E. et passim.

2. Steinhart, *op. cit.* p. 557 (apud Schmidt, p. 23).

3. Deuschle, *Platonische Sprachphilosophie*, p. 50. (apud Schmidt, p. 23).

4. Steinthal, *op. cit.* p. 89.

subjicit (1) : « Socrates ὀνοματοθέτην et νομοθέτην non segregat, quia verba ut quamdam legum (*νόμοι*) partem explicare vult : quod de verbis verum erit de legibus verum quoque erit ; et si verba natura innituntur, sequitur ut natura quoque leges innitantur. Non jam igitur ullum erit, quod ad id de quo agitur attinet, inter φύσει et νόμῳ discrimen. Jam a principio ostendit Plato quo pervenire velit, scilicet eo ut contraria inter se conciliet. » Aliam etiam opinionem profert Susemihl (2) : illi enim νομοθέτης vir divino instinctus spiritu esse videtur, nec serio loqui Socratem dicit cum doctrinam redarguit quae sermoni divinam originem attribuebat. « Ironia enim qua doctrina illa tractatur nihil aliud ostendit nisi eam scientiae ope disputari non posse, et obscuriorem etiam efficere linguae originem ». Omnes vero illas conjecturas valde superat Lassalle (3) in suo de Heraclito libro. Quia enim Plato inter νομοθέτην et ὀνοματοθέτην nullum disserimen facit, collegit affirmare Platonem voluisse « nullum esse inter nomen et legem disserimen ». Etiamsi interpretationem hanc prætermittas, non videntur jure defendi posse variæ, quas retuli, opiniones. Non profecto tot et tantas res verbis suis condidit et involvit Plato, et consulto non dilucidius locutus est. Hoc enim ad argumentationem ejus attinebat, hoc præcipue ei necessarium erat, ut in lumen produceret rationem, qua formata verba fuerant, causasque, quibus mutata paulatim fuerat illorum verborum species. Cui vero attribuenda nomina essent, utrum uni homini an pluribus assignanda essent, haec

1. Steinalthal, *op. cit.* p. 91.

2. Susemihl, *op. cit.* p. 155-156.

3. Lassalle, *apud Steinalthal, op. cit.* p. 70.

ostendere ad ipsum dialogum non re pertinebat, nec utile profecto erat planissime iis interrogatis respondere. Ante omnia demonstrare volebat verba ab hominibus creata, et Græcam linguam a Græcis formatam esse (1). Non aequum tamen sit contendere Platonem illam quæstionem omniuo neglexisse, atque ita omnes, quas retuli, a culpa temeritatis liberavisse opinones. Nominum enim inventionem hominibus propriam esse putat, et in ea nihil divini, nihil quod vires humani ingenii superet, collocari conjectura debere. Non igitur persona mythica, neque vir divino spiritu instinctus est νομοθέτης, neque populi partes gerit. Nam si ita res se haberet, de uno tantummodo verborum inventore loqueretur Plato : de pluribus autem expresse sæpius loquitur (2). Abjiciendæ sunt igitur omnes subtiliores interpretationes, et semota omni aut mythica aut a diis instincta persona, nihil aliud fuisse νομοθέτην dicere decet atque homines quos pluribus dialogi locis τοὺς παλαιοὺς, τοὺς πρώτους (3) nominat Plato, id est homines qui, cum primi nati essent, primi nomina invenerunt et usurpaverunt. Qui vero fuerint illi homines, Plato non explicat : subjicit tantummodo non omnibus concessam fuisse nominum creandorum facultatem, et iis tantum propriam fuisse, qui res paulo melius et solertia cognoscebant (4). Platonis igitur cogitationem non adulteret ille qui dicat verba primigenia a primis hominibus fuisse creata, et inter eos ad verba fingenda prævaluuisse qui primi rerum naturam disquisive-

1. Crat. 425 D, E.

2. Crat. 390 D, 407 B ; 411 B, etc.

3. Crat. 425 A ; 411 et passim.

4. Crat. 492 B ; 390 D ; 388 E : οὐκ ἔρι παντὸς ἀνδρὸς... ὄνομα θέσθαι, ἄλλα τινος ὄνοματουργοῦ..., et passim,

runt et perspiciendis rebus studuerunt. Forsitan nimis simplex illa Platonis interpretandi ratio habeatur et criminis mihi ab illis callidissimis antiquorum scriptorum expicatoribus vertatur ex Platonis verbis nihil aliud hausisse nisi quod significare videbantur. Cur vero non in verbis antiquorum stemus atque maneamus, et cur semper ex iis aliquid, quod ingenii nostri acumen ostentet, eruere aggrediamur, non video (1).

Ita variae quae ad sermonis humani originem spectant quæstiones in *Cratylō* vicissim in disceptationem veniunt, et, quantum fieri potest, explicantur et enodantur. Equidem non affirmare velim ea quae ex argumentis suis colligit Plato certissima esse et in dubium vocari nullo modo posse : attamen quid sibi velint perspicuum est. Negat enim Plato a diis dictum fuisse sermonem, et hominum opus esse contendit. Sermone enim homines intimam rerum naturam imitari et exprimere voluerunt, il lud vero ne assequerentur eo ipso quod homines erant prohibiti sunt. Necessario autem ipsa linguæ natura factum est ut speciem paulatim mutaverit, et ex simplicibus verbis composita orta sint plurima, quae, nisi ad primigenia referas, nunquam explices. Ipsa etiam primigenia verba sensim adulterata, et usu attrita attenuataque sunt, aut contra vires eundo acquisiverunt, adjunctis syllabis litterisque, quae imitationi minime necessariae erant. Quare a nativa forma sua paulatim discessit hominum sermo et saepe inane sit in verbis, quae nunc sunt in usu, imitationem effigiemque rerum querere.

1. Quod ad significationem quam νόμος in verbo νομοθέτης mihi habere videtur, vide pag 28.

Non dubium profecto quin in ea doctrina plura reperiuntur quæ emendanda sint aut perpolienda, nec semper feliciter et perite ea quæ præcipit explicandis nominibus adhibet Plato. Nihilominus summa admiratione digna sunt ea quæ in *Cratylo* de sermonis origine profertur: fieri potest ut veriora aut verisimiliora a recentioribus inveniantur, aut inventa fuerint; sed ea est Platonis doctrina quæ a nemine neglegi aut prætermitti debeat, et omnibus contra summo honore sit habenda.

# INDEX RERUM TRACTATARUM

## I

	pag.
1º De ratione qua recentiores scriptores ac præsertim Schaarschmidt cum <i>Cratylo</i> agunt.....	3
2º <i>Cratylus</i> brevi summario contrahitur.....	5
3º De etymologiis.....	10
4º Nonnulla etiam quibus dialogum insectatur Schaarschmidt objecta refelluntur .....	22
5º De Socratis persona.....	25
6º De <i>Cratylo</i> et Hermogene.....	32

## II

1º Quæ fuerit philosophorum, qui Platoni ætate anteierunt, « sermonis philosophia » quæritur.....	37
2º Quomodo verba constituta sint, Socrate auctore, ostenditur....	43
3º Quomodo primigenia verba immutata et adulterata fuerint, ex sententia Socratis exponitur.....	55
4º De legislatore in <i>Cratylo</i> laudato.....	60

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,  
A. D. III nonas aug. ann. MDCCCLXXXVI.

*Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.*

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR,

Academie Parisiensis rector.  
GRÉARD.